LITURGICA SACRA:

Curru Thesbitico, *i. e.* Zeli inculpabilis vehiculo deportata, & viâ devotionis Regiâ deducta a

Rand. Gilpin, Sacerd.

VEL,

Opſonia ſpiritualia omnibus verè Chriſtianis, etiam pueris deguſtanda.

Plus debet, quàm ſolvit inops: (Eccleſia mater)
Filius in gremium carmina mitto tuum:
Pauperis hæc mica eſt; ſed amoris teſſera veri;
Ne corrode meam, ſpurie, mitte tuam.

Anno Dom. 1657.



Collegio Etonensi Apologeticon.

NOn contendimus artibus nefandis
Fœdo Sotadico, Cynædicove,
Turpi mollitie necare alumnos
Etone celebris, ſcelus recedat
A cunis procul, & procul recedat
A canis, moribundus ecce vates
Prodeſſe & teneris cupit placere.
Si munuſcula ad invicem dediſſe
Ævo diſparibus ſit indecorum,
Sontem me fateor; dedi Camænas,
Luſi verſiculis, poematumq;
Porrexi pueris ſenex libellum.
Quòd ſi crimen habet dediſſe parvis,
Grati jus animi reum tuetur:
Nam dum porrigo parvulis Etonæ,
Nutrici officium meæ rependo:
Hymnos condere ſi ſit infacetum
Vergenti Senio, Daté hoc, ſenilis
Dum mens nititur emicare in altum
Currus inſtar erunt Sacræ Camenæ:
Verſus ſi ſcelus eſt dicare honeſtos
Tum vixiſſe piaculum eſt honeſtis:
Inſtillare animis licet tenellis
Ad moviſſe cibum ut licet labellis:
Quis nutrimina commoda his negarit?

Divorum *Ambrosiam*, dapes supernas,
Immortale merum precationum,
Quas Ecclesia mater apparavit,
Longum--Provida filiorum in usum,
Vatum fontibus erutas avitis,
Sacris de puteis Apostolorum,
Praxi Catholicâ diu probatas,
Signatas quoq; Martyrum Cruore.
Si sis qualis eras Etona nutrix
Olim temporibus Savillianis,
Præstes officium periclitanti :
Esto more tuo tuis alumnis,
Esto carminibus probis asylum :
Et vos Gymnasiarcha cum magistris,
(Vobis siquid inest in æde Regis
Regalis Genii, indolisq; priscæ)
Album ponite calculum camænis,
Si non versiculos parum politos,
Saltem materiam probate sanctam.
Quod si concilium patrocinetur
Vestrum, non moror oscitationes,.
Non Momi invidiam severioris.

Proseuticon.

Sic nequando habitent Ziim vel Jim
Musarum thalamos ; procul recedant
Turpes Gorgones, improbæq striges
Vestris porticibus, Peristylisq;
Ambubaia nec inquietet ædes,
A campis Cacus, & Draco à fluentis ;
Ensis barbaricus procul recedat.

Alumnis

Alumnis Scholæ Etonensis.

Charum nomen Etona literatis,
Charum discipulis, quibus fuisti
Ætate in tenera Verenda Nutrix:
Illis præcipuè, quibus dedisti
Musas Camicolas adire, aliq;
Regis cœnobio, cui Pius Rex
Feudum cum celebri dedit sacello.
Et nos participes utriusq; sortis,
Grati Mnèmosynon tibi vovemus,
Affectusq; Pii, Puertiæq;:
Nam collusimus hisce, flevimusq;
Insudavimus, alsimusq; castris:
Sed Phœbi pueris quid ô litemus,
Qui voces Latias probè & Pelasgas
Norunt, Pieridum modosq; callent?
Non tricas apinasq; porrigemus,
Non illis (animus quibus virilis)
Aut Spartæ catulos citæ, vel Arma
Dianæ celeris, senex vovebo:
Non merces Batavas Crepundiorum,
Sed nec Sphærica dona inauspicata,
Pilas, Orbiculos, Trochos, Galeros
Depressos, Cyclicosq; Scotticosq;:
Sed currus damus, esseda & superna,
Hymnos, & preculas inambulantes
Musarum pedibus, quibus tenelli
Non vires onerent, juvent sed horis
Furtivis; teretes, brevesq; laxent
Mentes fortè diebus otiosis:
Nullum deinde molestiam facessent,
Nec pessum Latiæ dabunt loquelæ,

 Damnum

Damnum moribus aut ferent politis.
Sed nec dogmata cudimus novella,
Dum Liturgica pensa destinamus,
Quæ zeli face corda parvulorum
Accendant,rapiantq; in Astra tandem,
Olim flammifer ut Propheta raptus.
Sed Delator ab hinc procul facessat,
Res culpâ caret innovationis,
Dum cultus patrios propino natis
Antiquâ Methodo, fideq; verâ :
Priscum si placeat fidem tueri
Et spectare viam diu probatam
Multo sydere Lacteam, parentum
Candore atq; notabilem cruore;
Hâc hâc pergite in Atrium Tonantis
Oraclis moniti & patrum sequaces.

Lectori Benevolo.

Dum tria concurrunt regna, *Anglia*, *Scotia*, *Ierne*,
Dumq; Dei & regni jura revulsa labant:
Dum Mars & Comites, pestisq; Rapina,Famesq; ,
Incursant Hominum Corpora, Rura, Lares :
Quid superest miseris ? pars viribus integra pugnat,
Vertitur in celerem plebs malefida fugam :
Pars implorat opem quales Matresq;, Nurusq;
Et pueri imbelles, Virgineusq; chorus :
Ecce senex pedibus fidit, dum concipit hymnos,
Et miser invalidas tendit in astra manus :
Provocat in partes pueros, ut tendere sursum,
Et pia carminibus dicere vota velint ;
Provocat hymographos, auso tu parcè Senili,
Est pietas a.iis, cur mihi crimen erit ?
Et *Buccananum*, *Bezamq*; hoc impulit æstrum,
Sanctaq; *Jessæus* carmine vota litat.

Dum

Dum puerorum animis cupio, & prodesse loquelæ,
Velle caret vitio, non potuisse dolet.

Directorium est Liturgiæ destructorium.

Velleris aurati mercem dum retulit Argo,
Decernunt Myniæ tempora longa rati,
Hanc linit, hanc reficit, figit tabulasq; refigit
De propriâ memor & grata salute cohors:
Tandem de veteri minima est pars nave relicta.
Hanc tamen arte nova perpetuare cupit:
Nomen in astra ferens: Sydus fit portitor Helles,
Hic supremus honos, nil dare majus habet.
Relligio Anglorum simulatur imagine tali,
Quæ patribus fidei chara tabella fuit:
Hæc animas stygio plures servavit ab orco,
Patribus & natis jure verenda cluet.
Posteritas ergo properans reparare tabellam
Nos quia servavit non morietur ait.
Non tamen hæc pietas sed Fraus fuit; Arte Pelasga
Transiit in nihilum quæ reparanda fuit.
Nam nova dum cudunt, aliam sibi religionem
Cudunt, prisca fides undiq; secta perit:
Et Ratis ipsa perit, liber ipse liturgica servans:
Æthereum damnant ad Phlegetonta librum:
Nec cælo donant, quamvis cælestis Origo est;
Damnato damnant seq; patresq; libro:
Quid facient cum regna Charon conclamat ad ima?
His prorsus nulla est integra parte ratis,
Non liber aut cortex præsto est, non portitor Hélles,
Heu, heu nulla salus nave charontis erit.

*Officium matutinum: post varias
Scripturæ sententias incipit
Exhortatio prima.*

Pagina Sacra movet sontes peccata fateri

 Seu

Seu uumero excruciant, ſeu gravitate premant ;
Illa reos prohibet nebulas obtendere culpis,
Aut coram omniſcio diſſimulare Deo :
Sed tacitis Animi peccata agnoſcere fibris,
Mæſto, morigero, ſimplice corde, monent :
Ut reſipiſcentes grata indulgentia laxet,
Dimittente reis & miſerente Deo :
Agnitio ſcelerum nullis non convenit horis,
Tempore conventus gratior illa tamen :
Dum coit in cætus Eccleſia ; Cultor ab omni
Poſſit ut officium reddere parte ſuum,
Munifico ut referat Domino præconia laudum,
Ut bibat aure, ſacer myſta quod ore refert :
Ut poſcat victum votis quo corpus alatur,
Et quo pars vivat cœlitus orta, petat :
Vos ego cœlicolæ quot quot conſiſtitis oro,
Mecum alacres ſolium mitis adite Dei :
Pectore ſincero dictantis reddite verba,
Et voces humili voce iterate meas.

Confeſſio Generalis.

Rerum potens, clemens pater,
Cujus poteſtas limites
Neſcit, modum clementia,
Tibi confitemur crimina :
Dudum vagantes impiis
Nos huc & illuc paſſibus,
Erravimus de ſemitis,
Ut Grex bidentum devius ;
Nimis ſequaces motuum,
Quos forte nobis ingerunt
Commenta noſtri pectoris,
Et cordis irritamina :
Prævaricantes in tua.

Offendimus

Offendimus dictamina ;
Præstanda nos neglesimus,
Et non agenda admisimus :
Ægris recessit sanitas :
Sed nos Iehova, nos tua
Ob noxios & perditos
Relaxet indulgentia.
O parce confitentibus,
Et pœnitentes erige,
Post mentis ægræ vulnera
In rem priorem sublevans.
Promissa juxta clariùs
Annunciata Adamidis
In Christo Iesu Principe
(Nati Pater mitissime.)
Favore dilectissimi
Concede post istum Diem,
Ut compleamus tempora
Juste, pieq; & sobrie,
Ad nominis laudem tui, *Amen.*

Digressio Auctoris de neglectu confessionis Generalis.

Cultus Idolatricus.

Suffolciensis cultor inutilis
Confessiones non bene perficit ;
Nutante nam zelo inchoatum
Negligit officium dolosè :
Commissa supplex turba fatentium
Ritè inchoavit cum querimonias,
Avertit inceptis popellum
Divitis advenientis umbra.
Surgunt clientes fit strepitus, pedum
Motu teruntur marmora, & obvium

Summissè adorant ipse blando
Provocat alloquio colentes;
Magnus colonis ille Diespiter,
Quem rege Cæli posthabito colunt
Pagiq; tutelam Salutant;
Numinis immemores supremi
Qua parte cultus lex jubet erigi,
Grex stare recto corpore negligit
Nomenq; sacro--Sanctum Iesu
Auriculis bibit otiosis:
Cæptis Sacerdos restitit impiis
Sævas ad Iras, sed neq; proficit
Vos præsules rerum potentes
Vindiciis properate justis,
Morem profanum tollere; Qui De
Cultum immerenti cum Lare dividit
De cœtibus Mos Christianus
Barbaricus procul O facessat.

Absolutio *pronuncianda à solo Sacerdote: stante.*

Summis Deus qui viribus
Pollens; paterno Nomine
Agnoscit æternus Pater,
Christum *Mariæ* filium,
Qui cespitantes in mala
Non emori sed pessimis
Vult abdicatis moribus
In sempiternum vivere:
Et qui statuto immobili
Jus in Ministros transtulit,
Pronunciandi tristibus
Immunitatem Crimiuum:
Formamq; solvendi dedit
Culpæ ligatos vinculis;
Absolvit hic obnoxious

Idemq;

Idemq; parcit omnibus,
Qui pœnitentes seriò
Factis gemiscunt propriis,
Christiq; non ficta fide
Assentiunt oraculis:
Oramus ergo supplices,
De Spiritu sanctissimo
Haustum det intus Cordibus,
Comitante pœnitentia,
Ut grata sint huic omnia,
Hac luce per nos præstita,
Scelerisq, sint immunia
Expleta nondum tempora,
Ipsius ut sic deniq;
Migremus in solatia
Æterna post hæc secula.
Per Christum Iesum filium.

Oratio Dominica.

Cœlestis Genitor, qui colis arbiter
Arces Sydereas: 1. Tergeminum tuum
Nomen rite per Orbem
Cultus accipiat Sacros:
2. Adventu celebri surgere gestiat
Regnum. 3. Velle tuum Terrigenûm genus
Præstet cœlicolæ sic ---
Ut sunt morigeri Tibi.
4. Gratis nos hodie pasce cibar is,
5. Sontes suppliciis exime debitis,
Offendentibus ut nos
Parcentes veniam damus:
6. Ne nos illecebris objice. 7. Sed mali
Deprensos Laqueis erue; nam tuum
Regnum, omnisq; potestas,
Tota est & tua gloria.

Auctoris

Auctoris digressio; de forma orationis Domin. necessariò recitanda, contra dogmaticos novitios, qui admittunt ut Normam tantùm.

Norma placet, ſed forma magis ; mihì norma precanti
 Materiam ; votis forma dat eſſe meis :
Sanctificat vatem, votum, preculaſq; popelli
 Non nudis verbis ſed comitante fide.
Chriſte jubes recitare, tuum non futile juſſum
 Præſto, nec obſequio Gratia deinde minor :
Gratia Paulinis nam ſi datur edita verbis,
 His Domini verbis numen in eſſe reor,
Ergo
Me pater exaudi recitantem oracula Nati,
 Nate ex ore meo percipe verba tua :
Huc ſacer advertas Flamen, ſpiramine fiunt
 Iſta tuo, ſi ſint vota ; quid ergo meum ?
Nil, præter credo, & volo quod vis, accipe totum,
 Nilq; meum, nec nil ; dum tua vota volo.

Apparatus ad Pſalmodiam, ex Pſal. 51. *& aliis Per ejaculationes ſequentes.*

Sac. Tu laborium
 Clauſtra reclude
 Magne Jehova,
Reſp. Os tibi noſtrum
 Mox erit aptum
 Pangere laudes :
Sac. O deus ægris
 Eſto ſalutis
 Impiger auctor,
Reſ. Inq; periclis
 Expediendis
 Auxiliator.
Sac. Gloria patri,
 De patre nato,
 Spirituiq; ;
Reſ. Ut fuit eſto ; *Doxologia.*
 Ut quoq; nunc eſt,
 Eſto per ævum.
Sac. Halleluïah
 Voce favete
 Laudibus ejus'
 Qui dominatur :
Reſp. Iö Jehovæ
 Nomen in ævum
 Concelebremus.

Invita-

Invitatorium ad Psalmodium, Psal. 95.

Eïa agite ad Dominum modulantes carmine sacro,
Ferte salutifero jubila grata Deo :
Accessu propiore Deo sotêria ferte,
Testetur Psalmus gaudià nostra frequens.
Magnus enim Jehova Deus, Deus ipse Dynastas
Terrigenas flectit Numine quosq; suo :
Hujus enim nutu perstant fundamina Terræ,
Vallis, & illius robore Montis apex :
Planiciem manus illius porrexit utramq; ,
Ille Salum posuit, suppposuitq; Solum ;
Numen adoremus postrato corpore, flexo
Ante creatorem Poplite quisq; colat :
Nam Deus est noster, sumus istius Opilionis
Grex, nos ejus alunt pascua, dextra regit :
Mollescant animi, vobis si prompta voluntas
Est hodiè voces aure bibisse sacras :
Nec cor durescat, sicut per inhospita rura
Cordibus ad Meribam diriguere Patres.
Cum me tentavere, meæ portentaq; Dextræ
sensêrunt, plagis & cecidere meis :
Jurgia cum gente hac Quadragenaria movi,
Desipuere, meas nec coluere vias :
Jurando quibus asserui, Nece præveniente
Promissâ exclusos se regione fore.

Hymnus Sancti Ambrosii, *qui dicitur Te Deum.*

Mens nostra gestit pangere, Te Deum,
Et confiteri te Dominum Patrem
Te tota adorat sempiternum
Axe jacens sub utroq; tellus:
Hymnis canoris agmina præpetum
Cuncta Angelorum vociferant Tibi
Te tota cælorum theatra et
Indigites celebrant ibidem :

In-

Indeſinenti carmine Cherubim,
Et ſeraphim de curribus, igneis,
O Sabaoth rector Deuſq;
Sancte, ter ingeminare gaudent.
Arces ſupernas irradiat tui
Splendor Decoris, deſuper & tua
Mortalium pervadit oras
Gloria, perpetuaq; laude.
Te glorioſus concelebrat chorus
Apoſtolorum, te numerus Decens
Vatum futuri præſciorum:
Conſpicuæ niveis coronis
Digno phalanges carmine Martyrum
Circum ſonant: Eccleſia te Pia
Totum per orbêm cónfitetur
Uſq; patrem eximio decorum
Illimitatæ fulgure Gloriæ,
Natum unicum, verum, genus inclytum,
Nec non paracletum potente
Flamine qui reficit fideles.
Te Chriſte regem regia gloria
Cingit, perennis tu ſoboles patris,
Aſſertor orbis cùm venires
Virgineo latitare clauſtro
Non abnuiſti: vivus ab inferis
Horrenda poſtquam fata domaveras,
Mox credulis cæleſtis Arcis
Te reſerante fores patebant:
Dextrum capeſcis nunc ſolium Dei
Ambit ſedentem te patrium Decus,
Te judicem noſtrum futurum
Articulo fidei tenemur:
Idcircò ſervis affer opem tuis,
Carum cruoris quos pretium tui

Olim redemit, nos rogamus,
Civibus annumeres supernis,
Ut sempiternæ munere Gloriæ
Omnes fruamur: redde Adonai tuum
Salvum popellum, propriamq;
Perge bonis cumulare dignis
Hæreditatem, Numine dirige,
Et perge in altum tollere perpetim:
Preconiis nos te dietim
Efferimus super astra cæli:
In seculorum secula nomini
Cultu litamus suppliciter tuo
Jehovah, da lux ista præsens
Transeat ut sine labe nostra:
Oleniter nos respice leniter,
Illuminet nos Dia benignitas,
Cum tota spes nostræ salutis
Non alium in Dominum recumbat:
In te salutis spem posui meæ,
Jehova præstes auspiciis tuis
Ne turpiter confundar Olim
Obrutus exitio pudendo.

Canticum trium puerorum vel benedicite omnia opera.

O conditorum tota operum cohors
Magno Jehovæ, vos benedicite,
Afferte laudes sempiternas,
Perpetuis decorate palmis:
Quotquot Tonantis jussa capescitis
Throni Angelorum, vos benedicite, &c.
Pertranseuntes ætheris ambitum
Cæli patentes, vos benedicite, &c.
Pendentis undæ qui cumuli super
Cælos manetis, vos benedicite:
Quæcunq, virtutes famulamini

Huic

Huic conditori, vos benedicite.
Illuſtris O Sol, & ſoror aurea
Magno Jehovæ, vos benedicite.
Stellæ micantes per laquearia
Cœli, Jehovæ vos benedicite.
Imbres cadentes nubibus ætheris,
Rores fluentes, vos benedicite.
Dei potentes flabra valentia
Summo Jehovæ, vos benedicite.
Ignes foventes, & geniti ignibus
Æſtus, Jehovæ vos benedicite.
Partu gemello Nix, Glacies ſimul
Plerunq; cretæ, vos benedicite.
Diſtinctiones temporis, ô dies
Et Nox, Jehovæ vos benedicite.
Lux & tenebræ publica Munera
Totum per Orbem, vos benedicite.
O Conditori Terra ſua Arida
Ritè ominetur jubila dulcibus
Hymnis, & extollat Jehovam
Eximii titulis honoris.
Montes petentes vertice Sydera,
Colles minores, vos benedicite:
De matre terræ Germina florida,
Fontes rigantes arva perenniter,
Salum profundum, ſic fluvii ſuas
Ripas amantes, vos benedicite:
Immenſa cete; quicquid in æquore
Vaſto movetur, vos benedicite:
Armenta in Agris & Pecudum greges,
Humana proles, vos benedicite.
Stirps Iſräelis, quiq; operamini
Sacras ad aras, vos benedicite.
Cætus Piorum, grata quibus Dei

Cultura

Cultura veri eſt, vos benedicite.
Mentes Piorum, pueumata vinculis
Soluta carnis, vos benedicite:
A labe puri & corde humiles viri
Nondum ſoluti, vos benedicite.
Sancti uuniverſi, vos Ananiaq;
Azaria & par tu Miſael Deo
Bene apprecantes ſempiterno
In mediis celebrate flammis.

Doxologia.

Sac. Patri gloria ſit Deo,
Divinæ ſoboli decus;
Sacro Spirituiq; honor.

Reſp. Illis ut fuit, eſt, erit
Prima mundi ab origine,
Ante & ſecula condita,
Mox per ſecula poſtera,
Nunc per ſecla fluentia,
Eſto ſecla per omnia.

Canticum Zachariæ.

Accipiat laudes Dominus Deus Iſacidarum,
Qui gentem æthereâ viſit ab arce ſuam
A noxis redimens: Nobis excreſcere magnam
Davidicâ juſſit ſtirpe ſalutis opem:
Perpetuâ ſerie ut prædixit ab orbe creato,
Tempore per vates qui viguere ſuo:
Aſſertos fore nos Meſſiâ vindice ab omni
Incurſu, hoſtilis barbarieq; manûs:
Ut patribus noſtris promiſſi gratia ſtaret
Immemor & pacti ne foret ipſe ſui.
Hoſtibus erepti nos ut ſervire queamus,
Hujus & abjecto juſſa ſubire metu;
Coram ipſo officiis functi pietatis ad uſq;
Metam, dum claudant ultima fata diem.
Tuq; Zachariades infans numerabere vates,
Excelſi faciem prodromus ante dei:

Rite

Rite viam sternens prænuncius ipse popello,
Tu tuba cœlestis prima salutis eris,
De veniâ indultâ nobis per Viscera Iesu,
Ne subeant sontes quam meruere necem,
Sydus & Eoum nos clarè invisit ab alto,
Mortis sub tenebris irradiare sitos;
Inq; viam pacis palantes flectere possit:

Doxologia.

Gloria sit Triadi, sic erat, est, & erit.

Hymnus secundus. Psal. 100.

Gens hominum terræ colitis quemcunq; recessum,
Jubila ferte Deo, letâ pietate colentes,
Aspectumq; hilares accedite, rite scientes
Quòd Jehova Deus sibimet nos finxit opellas,
Ipse opifex noster, non nos procudimus ipsos,
Sed sumos illius Domini populusq;, gregesq;,
Ille agit, ille suos per pascua nutrit opima,
Ille subire fores; jubet hæc libamina grati
Accumulare Animi, jubet atria adire Tonantis,
Hymnorum dum dulce melos circumsonat ædes,
Ipsum laudate & titulis decorate supremis:
Nam suavis Dominus, finem clementia nescit;
Ipsiusq; fides per secla intermina tendit.

Symbolum Apostolicum.

Credo Deum & Patrem, qui pollens viribus Orbes
Cœlorum & terræ Molem fabricavit; Iesum
In Christum Dominum, qui proles unica Patris
A sacrosancto conceptus Flamine, in auras
Æthereas fluxit, *Mariæ* de Virginis alvo.
Pontii ad arbitrium perpessus fata *Pilati*,
Infami affixusq; trabi, defunctus & æde
Marmorea inclusus; Descendit ad infera regna
Et triduo vixdum exacto redivivus in auras
Prodiit; ascendit raptus super æthera, dextrum

Jamq; patris solium (cujus sine fine potestas)
Occupat, hinc olim nostras rediturus in Oras,
Jus dare supremum vivis & lumine cassis.
Non minus in Sanctum credo spirabile numen;
Cætum Catholicum, Sanctorum mutua credo
Jura Sodalitii : culpis veniamq; remissis
Sontibus indultam fore credo, Animabus in artus
Olim Corporeos reditum, vitamq; perennem.

Ejaculationes post Symbolum Apost.

Minist. Numine vobis ô Deus adsit,
Resp. Animo vestro Spirituiq; sit
Minist. Addit Kyrie & Orat. Domin. tum ait
Solitos nobis ede favores,
Resp. Miseris & largire salutem.
Minist Protege summos, numine Reges :
Res. Preculas audi vociferantum.
Min. Indue mystas pectore justo,
Res. Exhilaretur Gens tua lætis.
Min. Assere plebem vindice dextrâ
Res. Proprio mitis benedic clero.
M. Domine ævo pax vigeat nostro,
Res. Alius quoniam pugil est nobis
Nullus nisi tu, summe Jehova.
Min. Effice cor sub pectore mundum,
Resp. Nec paracletum substrahe nobis.

Matu. Collect. pro pace.

Mitis Deus tu pacis auctor efficax,
Amator & concordiæ,
Quem nosse vitam fert beatam credulis
Interminatis gaudiis.
Cui serviisse à servitute est eximi;
Vindex ab omni, quæsumus,
Incursionis impetu nos protege,
Hostilis ullus ne metus

Servos lacessat: nos sub ala Sospita
Semper tui tutaminis.

Altera Collect. pro gratia.

O Sancte regnator, parens rerum potens
Deus perennis qui tuos
Diespiter nos lucis ad primordium
Hujusce duxisti Die
Currente salva labiles, Serotinum
Ad usq; tempus, pettoq;
Ne cespitantes corruamus in malum,
Ullum nec in periculum;
Sed derigantur nostra sic cœpta omnia,
Nuti voluntatis tuæ;
Ut justa agamus, ipse quæ vindex probes
Favoris aspectu Tui.

Officium Vespertinum incipit à Confess. & Absol. tum Post Orat. Domin. Psalmodium & Lectionem primam. Canticum beatæ Mariæ sequitur ex prim. cap. luc.

Pars divina mei gestit celebrare Tonantem
Cœlestisq; artus quæ regit Aura meos
Vindice læta Deo est, famulam respexit ab alto
Quæ modo depressæ conditionis eram:
Postera felicem celebrabunt secula matrem,
Quòd mihi patravit facta stupenda Deus:
Ille potens, sanctusq; Deus: clementia visit
Me quoq; Cultores quæ juvat usq; pios:
Dia potestatem bonitas comitatur & ambit,
Illa cluit magnis rebus & illa Piis:
Altera disjecit peccati erroribus actos,
Quos animi tumidos traxit imago sui:
Altera contritos ad sydera vexit ab imo
Servos, quot Dominum corde pavente colunt:
Altera jejunos rebus saturavit Opimis,
Altera repletis sæpe alimenta negat:

Isacidis

Isacidis porrexit opem Deus ille Deorum,
Ille potens populum juvit utraq; manu :
Juxta promissum sanxit Jehova, quod olim
Cum Patre Teriadâ, Terladáq; sacis.
Hymnus secundus, Psal. 98.
Novum Jehovæ pangite Canticum,
Patravit hic námq; ardua : brachio
Sancto triumphavit, suâq;
Non aliâ comitante dextrâ :
Magnis salutem testibus edidit
Jehova, sicut justitiam suam
Spectante Gentili catervâ
Barbaricis manifestat Oris,
Clementiam tandem memor extulit,
Pactumq; sanctum cum populo *Israel*,
Miram Dei nostri salutem
Gens Hominum numerosa vidit,
Qua terra fines porrigit ultimos :
Iö Jehovæ reddite jubila
Terra omnis ad voces conoras
Ora resolvite ritè Ovantes :
Hymnos Supremo Psallite, psallite,
Chordas Sonoras tangite suaviter,
Psalmodio circumstrepente,
Barbitus huic modulamen addat :
Cantu tubarum murmure Nablii
Coram Jehovâ Psallite jubilum,
Rege ut supremo ; mox tremendum
Proferet Oceanus Boatum
Cum gente totâ fluctivagâ ; vices
Has præstet Orbis totus, & incolæ
Fluenta plaudant atq; montes
Verticibus tremulis ovantes
Coram Jehovâ subsiliant, quia

Terris daturus jura venit Deus,
Orbemq; mortalesq; lance
Justitiæ trutinavit æquâ.

Canticum Simeonis *post lectionem secundam.*

Corporis exuvias tua juxta Oracula servum
Nunc placidâ fessum ponere morte Sinis:
Namq; tuæ donum spectare salutis ocelli
Tandem post tenebras excubuêre mei:
Illa diu mundi fuit expectata, diuq;
Illa parata, Orbis quàm stetit, antè fuit:
Emicuit Lampas toti spectabilis orbi,
Lumen terrigenis, Isacid' umq; decus.

Alter Hymnus, Psal. 67.

Nostri Deus miserere, nos & influe
Haustu benigno cœlicæ
Benedictionis: Nos super--lucessere
Permitte gratiam tuam:
Miserere nostri tu Deus clementiæ,
Legis tuæ Laus inclyta,
Gentesq; pervadat Salus notissima:
Tuus popellus prædicet,
Populi universi annunc ent justitias,
Junctim tuas, quot ordinis
Excelsioris sunt, vel enfimi gradus:
Partu benigno fertilis
Frumenta tellus reddet & nos influet
Benedictionis gratia:
Deus beabit ille nos diespiter
Hæreditatem proprium
Gentes ut extimescant eum quot sitæ
Fines ad orbis ultimos.

Collect. pro pace.

O fons perennis omnis affectus boni
Auctor Salubris consilî:

Tuq;

Tuq; actiones unde habent primordia,
Quæcunq; justo nomine
Insigniuntur, da tuis pacem Deus
Quam seculum præsens dare
Nescit: Tuis ut corda nostra inserviant
Jussis, remotis hostibus,
Procul pavore sospites tranquillius
Nostra exigamus tempora:
Possimus & protectione sub tua
Custode Iesu vivere.

Collect. secunda.

Nos te rogamus supplices
Solitâ tuâ clementiâ,
Depelle noctem mentibus
Per Lucis influxum tuæ:
Et sospita de casibus
Inauspicatis omnibus,
Qui forte nobis imminent
A nocte, quæ nunc volvitur.

Symbolum Sancti Athanasii.

Suspirat cupidus voti quicunq; salutem,
Expedit imprimis sollerti evolvere mente
Catholicæ arcanum Fidei, firmumq; tenere,
Quam nisi quis fuerit parte amplexatus ab omni
Sincerè recolens, dubio procul occidet ille
Sub mole exitii æterni suspiria ducens:
Summa autem Fidei, cum Numen sub Triade unum
Sub Monade à nobis colitur quoq; Trina potestas;
Personalis uti distinctio pulchra residat
Nunquam in turpe Chaos, nunquam substantia rupta
A se dissiliat: Patris una est, altera nati
Tertia Persona est Divini Flaminis; illis
Sed Deitas tamen una tribus diffunditur æquè,
Æqualisq; Decor, sine fine ortuq; Coæva
Majestas,& Qualis hic,alter talis & alter Ter-

Ternam per seriem: Pater est incondirus, & sic
Filius, & Flamen gaudent appendice eodem;
Incomprensibilis titulum sibi quisq; seorsim
Induit Æternum fas ter tribus addere nomen,
Nec dicas incomprensos tres, inq; creatos,
More Creaturæ: demptum sed lege creatâ
Atq; incomprensum Numen benedixeris unum,
Omnipotens æquè terno tres ordine nomen
Et Pater, & Natus, Flatusq; Sacratus adoptat,
Nec tamen abstraxisse licet Tres Omnipotentes.
Unus enim Omnipotens, plures nec calculus addat.
Sic Pater & Natus Deus & Spirabile Numen
Æquo jure cluunt: non hinc tamen eliciuntur
Dii tres: nam Deus est unus. Dominusq; licebit
Ingeminare semel de quolibet, attamen unus:
Esse Deum, Dominumq; unum pleno Ore sacrata
Christiadûm nos impellunt agnoscere jura:
Sic eadem Tres esse Deos, Dominosq; reclamant:
Est nullius opus Pater, à nulloq; creatus
Principio: Emissus solo à Patre filius exit,
Non virtute operis factus, non lege creandi
Excusus, tantùm generatus: Sic ab utroq;
Tam patre, quàm nato demissus Spiritus almus
Non factus non conditus aut generatus ab illis,
Processu fluit æterno: Pater unicus, unus
Filius est, Flatusq; unus, non Tres numerantur
Patres, aut Nati, aut Flatus: tria numina non sunt;
Ambitus hic Triados, non posteriusve priusve
Non minus admittit vel majus: Quippe coævi
Inter seq; pares Personæ sunt in honore:
Sic Trias in Monade & Monas in Triade est Vene-
Anxius ergo suam versat quicunq; salutem, (randa.
Se rite instituat de sacrâ indagine Trinâ;
Insuper intererit vitæ sine fine beatæ,

Rite fide amplecti; Christus quo more caducam
Induerit carnem: Fidei nam jura requirunt
Assentire animis, & promere voce fideli,
Regnator Christus quòd sit divinitùs ortus,
Quòd sit Homo, Deus, & juxta primordia Patris
Quòd Deus & Genitus prius est quam condita sec'la
Matre homo, Patre Deus nostras prodivit in Oras:
Æthereâ imbutus Mente, & Velamine Carnis
Vestitus, dio Patri par Numine, Patri
Inferior sorte humanâ, sed nomine utroq;
Perfectus: quamvis titulis hominisq; Deiq;
Distinctus, tamen est Christus credentibus unus;
Unus non hominis converso Numine in artus,
Sed quòd Sponte sua fixam immotamq; Sibi ipsi
Naturam humanam Deitas asciverit olim:
Unus, diversæ non quòd glomerentur in unum
Naturæ, sed quod pars una amplexa sit unam,
Et Persona eadem naturas nexuit ambas;
Namq; ut homo ex anima constatur & artubus unus,
Sic Deus idem & homo Christus coalescit in unum.
Extrema in nostram perpessus fata Salutem,
Virtute invictus manes descendit ad imos,
Redditus & Tres post Soles à morte revixit,
Ascensu superans Cœlos, Patris Omnipotentis
Occupat à dextris Solium; Quondam rediturus,
De vivis atq; extinctis sibi credita jura
Ut ferat; Huic reduci Gens agglomerabitur omnis
Humana, exuviis iterum circumdata carnis;
Pro ratione Operum tunc unumquemq; tremendus
Calculus excutiet: Mox Judicis ante tribunal
Qui bene vixerunt vivent in sec'la beati,
Et male degentes periment incendia dira:
Sunt hæc Catholicæ primordia Religionis,
Quæ nisi quis teneat corde inconcussa fideli

Occidet æternæ misero Spes fracta salutis.

Litania cum versiculis intercalaribus.

Sac. Po. Adyti Deus cœlestis incola & Pater,
Miserantèr respice sontes:

Sac. Po. Fili Deus dignissimo qui Lytro
Mundum redimisti, proprio sanguine;
Miserantèr respice sontes;

Sac. Po. Perenne numen halitus Spirabilis
Ab utroq; qui fluit Patre & Filio:
—Propius nos respice sontes.

Sac. Nec quæ patramus progenies mala,
Scrutare, sontes nec cineres patrum,
Vindex nec ad pœnas reposce
Nos vel ob illa vel illa facta:
O parce nobis; à populo abstine
Manus; Cruoris victima quem tui
Redemit oblati; nec in nos
Perpetuâ stimulêris irâ;

Po. Nobis parce reis Deus benigne.

Sac. Noxis ab universis,
Transgressione, vafri
Ab impetu Satanæ;
Tui furoris æstu,
Mortisq; sempiternæ
A calcelo tremendo

Po. Tua nos clementia servet.

Sac. A cæcitate cordis,
Suberbiaq; inani,
Hypocrisi dolosâ,
Livoris & Maligni
Detractione; ab illis
Quæcunq; charitati
Aut gratiæ repugnant.

Po. Tua nos clementia servet,

Sa. Regione ab hac tempestatis
Procul ignibus trisulcis,
Procul horridis procellis,
Lue, Pestilentiáq;
Procul & vorante rictu,
Famis, & vagantis ensis,
Lanienâ ab execrandâ,
Subitoq; mortis ictu:

Po. Tua nos clementia servet.

Sac.

Sac. A fornicatione
A criminum catervâ
Post se trahente mortem;
Cunctis abominandis,
Mundi strophis malignis,
Carnisq; Dæmonisq;:
Po. Tua nos clementiâ servet.

Sa. A civico tumultu,
Et perduellionis
A machinatione:
Ab hæresi, gryphisq;
A dogmatum dolosis,
A cordis & rigore
Fastidioq; verbi,
Legumq; cœlicarum.
Po. Tua nos clementia servet.

Sac. Per mysteria carnis involucro.
Abstrusæ Deitatis absq; labe:
Nascentis pueri sacros per ortus,
Per præputia secta vagienti &
Baptismatis innocens Lavacrum,
Per jejunia longa quæ tulisti
Per tentaminis exitum decorum:
Po. Tua nos clementia servet.
Sac. Per luctæ gemitum & cruoris imbrem
Sudoris vice perfluentis artus,
Per præclara trophæa Passionis
Transversamq; trabem, & tui cruoris
Effusi pretium, & tuum cadaver
Digno Sarcophago situm decorè:
Per vitam reducem tuam, deinde
Ascensum super astra gloriosum:
Per lapsi quoq; sedibus supernis
Sacri Flaminis halitum verendum.
Po. Tua nos clementia servet.
Sac. Duris quo tempore rebus
Frangimur gravati,
Manans opulentia dum nos
Undiquaq; ditat
Et in ipso limine mortis
Dum periclitamur,

Nos

Nos ad jus quandò vocabit
Classicum tremendum.

Po. Tua nos clementia servet.

Sac. Audi vota Deus quæsumus ô bone,
Audi vota, humiles quæ tibi fundimus,
Divina dulcedine mentem
Tangat nil potius tuam,
Quo moderamine recto Populum sub moderamine
Cœtum Catholicum flectere sic tuum,
Amplexentur ut unam
Omnes Christicolæ Fidem.

Po. Nos Domine exaudi te supplice voce rogamus.

Sac. Principi serva studium colendi
Te Deum rectè semel inchoatum
Promovens, ut sit pius, & popello
Jura det æquus.
Ipse qui nobis Dominus serenus
Et tuus gaudet famulus vocari
Gratiæ plenus cumulatiore
haustu.

Po. Nos Domine exaudi te supplice voce rogamus.

Sac. Regium fræno fidei guberna
Cor, tui semper metuens, Amansq;,
Robur ut certæ sibi te salutis
Ponat in ævum.
Et tuæ Laudi studio perenni
Serviat, dum res pius ipse sacras
Curat, antiquam reparans popello
Religionem.

Po. Nos Domine exaudi te supplice voce rogamus.

Sac. Sospitem custos vigil hunc tuere,
Ut tuo nisu valide ruentes
Frangat hostiles Domitor phalanges
Sub juga mittens.

Protege

Protege *Augustam Mariam* parentem
Carolum Natum, reliquamq; prolem
Regiam, plena benedictione
Suaviter affla;
Po. Nos Domine exaudi te supplice voce rogamus.
Sac. Præsules omnes, Parochos, Ministros
Desuper missa radiatione
Influe, ut verbi penetrare possint
Abdita Sacri
Sensa, præcones referantq; celsis
Pulpitis nixi in medium popellum
Voce formando, comitante vitæ
Luce probata.
Po. Nos Domine exaudi te supplice voce rogamus.
Sac. Consili auctores Dominos fideles,
Ordines regni reliquos, supernæ
Gratiæ donis cumula, Sagaci
Imbue mente;
Po. Nos Domine exaudi te supplice voce rogamus.
Sac. Sospita, quotquot Domini minores
Obtinent fasces Populo ministrent
Jura sincerè, tueantur æquo
Pectore verum.
Po. Nos Domine exaudi te supplice voce rogamus.
Sac. De tuo quotquot grege sunt, adauge
Cœlicis donis populum vel imum,
Protegens omnes tibi servientes
Vindice dextrâ.
Po. Nos Domine exaudi te supplice voce rogamus.
Sac. Ut tibi complaceat proprio indulsisse popello
Cœlesti spiramine dita,
Ut tua morigera captet tractabilis aure,
Sinceroq; oracula corde,
Admissos intus divini Flaminis haustus

Proferat

Proferat editione feraci.

Po. Nos Domine exaudi te supplice voce rogamus.
Sac. Ad mentem redeant sanam, de tramite recto
Quos decepit & abstulit error.
Po. Nos Domine exaudi, &c.
Sac. Ut stantes firmare velis, succurrere servis
Invalidis, & tollere lapsos
Deniq; tartareum vi debellare Tyrannum;
Sub nostris pedibus dare victum:
Po. Nos Domine exaudi, &c.
Sac. Periculum quotquot lacessit imminens,
Necessitatis vel tyrannis opprimit,
Vel crux ferit lugubris, ipsis subveni;
Solamen adsis & levamen omnibus.
Po. Nos Domine exaudi, &c.
Sac. Quicunq; fessis metiuntur passibus
Terras, vel arva pervolant Neptunia,
Serva profectos, ventris & [illegible]antes onus
Periculosis nixibus, tu sospita
Morbis anhelos, tu recens serva editos.
Multantur, imo qui barathro carceris,
Vel colla duris induuntur nexibus,
Omnes eximantur tua indulgentiâ;
Po. Nos Domine exaudi, &c.
Sac. Fœtus tenellos præside orbatos Patre,
Viduasq; privatas tori consortibus
Pressos, egenos, indigos omnis opis
Serva tuendo & destitutis consule;
Po. Nos Domine exaudi, &c.
Sac. Quantum est Adæ Sparsum per orbem seminis
Mitis serenâ fronte totum respice;
Po. Nos Domine exaudi, &c.
Sac In nos male affectis remitte injurias,
Dum persequuntur, dum petunt calumniis,

Inflecte

Inflecte eorum molliendo pectora.
Po. Nos Domine exaudi, &c.
Sac. Fruges benignè funde de terræ sinu,
Et promove nostros ad usus editas
Ne tempore illas percipiamus incommodo;
Po. Nos Domine axaudi, &c.
Sac. Tu corda verâ nostra pœnitentiâ
Refinge, fallis & remitte crimina,
Admissa lapsu sive sint incuriæ,
Errata seu sint orta ab inscientiâ;
Perfunde sacro deinde nos halitu,
Ut creduli redintegremur moribus
Decreta juxta Paginæ sanctissimæ;
Po. Nos Domine exaudi, &c.

Ejaculationes.

Sac. zelantis populi verba precantia
Exaudi soboles chara Dei Patris:
Po. Idem.
Sac. Expers Agne Dei Labis, Adamidis
Qui peccata lytro sanguinis expias:
Po. Servos supernè pace tuâ bea;
Sac. Insons Agne Dei, ut suprà
Po. Nostri Domine ô miserere.
Utrinq; vocula miserere iteratur sæpius.

Auctoris Apologeticon de iteratione.

O Christe Cœli janua,
Devotionis arbiter,
Miserere nostri dum tibi
Ejaculamur voculam;
Miserere nostri sæpius;
Non bis quaterve dicimus,
Decies sed hoc et vicies,
Et centies & millies:
Lamenta centum millia,

Attende plusa & chimita,
Mitis remitte sontibus
Centena supra millia:
Nam nullus unquam terminus
Par est tuæ clementiæ,
Ut nullus æquat computus
Nostrorum acervos Criminum.

Versiculus.

Sac. Ne tuum strictæ Themidos tribunal
Jure nos summo peragat nocentes:
Resp. Pœna nec par sit meritis nefandis
Jure reatûs.

Sac. *Oremus.*
Qui non fastidis fracti suspiria cordis,
Vota nec illorum, quotquot tormenta doloris
Mente agitant misera, mitis Deus & Pater audi
Nostris intentus precibus tibi rite litatis;
Ærumnas inter medias, nos quando lacessunt
Aspera, depressis aures adverte benignas:
Ut mala vanescant nostræ intentata saluti
Per technas hominum, aut subtilis fraude Satanæ;
Dissil antq; tuâ bonitate elusa sagaci,
Sic tibi perpetuò mediâ testudine templi;
Gens illæsa malis, gratemur carmine digno.

Po. Surge Jehova, tuos erue, siqua tui
Gloria te tangit nominis, affer opem.

Sac. Hausimus auriculis, quæ nobis gesserit olim
Dextra tua, hæc nobis memorârunt ordine patres,
Tempore facta suo, & patrata prioribus annis.

Po. *S*urge Deus, fer opem proprio permotus honore.

Adde Doxologiam ex aliis locis.

Sac. Hostes nequando lacessant,
Christe esto assertor & ultor:

Po. Aspice pacata tristia fronte mala:

Sac. Respice clementer cruciantis tormina luctus;
Po. Admissa remitte popello;
Sac. Percipe clementi preculas, quas fundimus, aure;
Po. Nostri miserere *Davidica* proles;
Sac. Exaudi nunc & per sæcula deinde;
Po. Christe benigne, audi, Domine audi Christe
Vers. *Sac.* Tua sic super nos perpetim (benigne.
Effulgeat clementia:
Po. Fiducialis te super
Ut nostra spes innititur.
Sac. Orat juxta formam sequentem.

Defectus oculo nostros miserante tuêre,
Suppliciter petimus, Pater, ut mala plurima nobis
Quæ jure impendent te vindice pulsa recedant;
Audi siqua tuæ te tangit gloria famæ:
Et largire, arctis quando infortunia rebus
Circumstant, miseris tua sit clementia fulcro.
Sic ut in æternum famulemur gens Pia, puræ
Officiis vitæ & pietatis perpete cultu;
Sic decor & summi cedat tibi quæstus honoris
Per patrocinium Christi mediantis Iësu.

Oratio pro regia Authoritate.

O genitor cælestis Adon, celse, imperiose
Quiq; cluis regum Rex & dominus dominantum,
Unice primorum præses, rectorq; regentum,
De solio indigenas terræ, qui despicis omnes
Ipsum te precibus corde imploramus ab imo,
Ut Dominum placidè nostrum intueare supremum
• • • • Est nobis qui nomine Req; serenus,
Afflatu replere velis, ut flectere possit
Sese ad velle tuum, de cælo dotibus auge;
Et concede, diu ut valeat vigeatq; secundus:
Proruat hostiles acies te vindice victor:
Deniq; permensus vitæ momenta fluentis,

Acquirat vitæ solatia longa beatæ:

Oratio pro Regia progenie.

Pollens viribus, ô Deus supremis
Fons, unde omne fluit bonum, perennis;
Summissè tibi supplicamus, almam
Reginam *Mariam* ut velis beare,
Illustrem quoq; . . . . . tueri,
Regalemq; propaginem tenellam
Almi flaminis omnibus benignum
Haustum suffice, spansione dira
Unumquemq; charismatum supernâ,
Omnes omine prospera Secundo.
Et Sceptra in tua sempiterna, Christum
Omnes per Dominum repone nostrum.

Soterion de Regia salute.

O qui catervis bellipotens Deus
Nostris amicus ductor es, & tui
Causam periclitantis uncti
Arguis ultor in obstinatos;
Hoc supplices agnoscimus: Haud fuit
Destrictus ensis, densa nec agmina
Nobis saluti, sed trophæa
Clara dedit tua dextra Regi:
Tu sospitasti Cæsareum caput;
Tu solus instar tegminis in die
Mavortis, ad terram obstitisti
Rege ne fluent Corona:
Quare nefas immane foret, Tuis
Miscere nostrum nomen adoreis;
Laus nomini cedat (Jehova)
Tota tuo sine parte nostrâ:
Hoc annuentes poscimus, ut vice
Nostrâ inchoatum grande opus exigas:
Felicitas delapsa Regis

Tempora

Tempora cingat, & afflet ejus
Exercitûs. Hoc fonte beatitas
Dimanet oras plebis ad infimæ.
Ut nuper incussus per artus
Occupet usq; pavor rebelles,
Roburq; eorum debile marceat
Et consilî sit futilis exitus :
Ipse artifex fraudes retexat ;
Officiisq; probis reducat
Partem labantem ; docta fiet Dei
In substitutos arma capescere
Et dimicari adversus arces
Æthereas, nihil interesse.
Submissionis per quoq; tesseram
Matura quæ fit corde, nec inscio
Auctoritatis, quæ supernè
Principibus datur in popellum,
Effusionis quæ maduit recèns
Arescat ut fons, scilicet obice
Submissionis præpeditus,
Fundere Christiadûm cruores :
Ut rupta regni pax coeat, procul
A re facessat factio publicâ,
Ecclesiáq; eliminetur
Scisma procul, Decus ad Jehovæ
Regisq; honorem, & publica commoda:
Da quòd rogamus pro veteri tuâ
Clementia, quæ consuëvit
Respicere Angliadas benignè.
Ut Rex serenus suavitèr annuat
Pacatus & Grex unanimes tibi,
Offerre cultus gratiarum,
Da Deus hæc sine fine regnans.

Oratio pro præsulibus & clero.

Omnipotens æterne Deus miracula solus
Qui propriâ virtute patras, illabere nostris
Præsulibus, Curatis, plebeisq; coronis,
Horum præsidio addictis, illabere sacri
Cuiq; Salutarem insinuando Flaminis auram,
Sincero ut placeant tibi corde, perenniter illis,
Tu benedicendo divinos influe rores :
Da Domine hoc : patrocinium da propter Iësu,
Et Mediatoris Christi irritatus honore.

Oratio Sancti Chrysostomi.

Summe Deus nutu cujus modò publica vota
Unanimes jussâ tibi consecravimus horâ,
Nostris pollicitus precibus te facta daturum,
Bini Tresve simul Cultores quando fideles,
Auspiciis cojêre tuis in Nomine Christi ;
Annue sollicitis, & vota benigniùs exple :
Quantùm quisq; capax, illustra Lumine vero
Corda, beaturus demùm nos luce perenni.

Benedictio Poulina ex 2 ad Cor. *c.* 13. 13.

Domini nostri Gratia Iësu
Atq; Dei dilectio Patris
Flaminis & Communio Sacri,
Prope vos esto perenniter omnes.

Petitio pro Aquis pluvialibus :

Cœlestis genitor, qui Vate atq; obside Christo
Promittis parvo cuncta alimenta Gregi ;
Justitiæq; paras regnum sectantibus, aptos
Qui prosint Animis, Corporibusq;, cibos :
Humoris dum nos urget pluvialis egestas,
In terræ gremium depluë mitis aquas :
Ut cum laude tua nobis, solaria reddant ;
Dum fructus reddunt pinguia culta suos,

Pro

Pro Cœlo sereno Petitio, & deprecatio contra pluviam immoderatam.

O cui res Hominum placuit submergere ponto,
Sontis ut elueres crimina stirpis Adæ :
Et genus humanum voluisti perdere totum
Quatuor incolumes sed superesse pares :
Ævum diluvio tali obtestatus in omne,
Dum sole adverso nunciat Iris aquas,
Nos mala progenies digni Lamechidos undis
Mergimur : O Deus hac subtrahe peste reos :
Parce reis culpas lugentibus, Astra serena,
Horrea uti subeat multa resecta Ceres :
Tempore non tristi discamus ut inde redire
Ad frugem, Dextræ post mala flagra tuæ,
Teq; efferre Patrem mitem per secula dignis
Laudibus, in Christo sint rata vota tuo.

Tempore famis vel annonæ Caritatis.

Largitor Pater omnium bonorum,
Per quem deciduo rigata ab imbre
Tellus prolificat frequente partu :
Per quem dat sobolem pecus per agros,
Fætum quo vegetante piscis edit,
Humanos animal utrumq; ad usus.
Rerum urgente fame, penuriâq;
Quæ nostro merito obtigit, tuêre
Plebis tristitiam, gregiq; mæsto
Ubertate penuriam repelle.
Annonæ quoq; caritas facessat
Victu divite, copiâq; rerum.
Hoc munus bonitatis ex perenni
Manet fonte tuæ ; favore Christi
Patri conciliante nos superno.
Cui tecum halituiq; laus sit æqua,
In sæculorum secula.

Tempore Belli.

Regum Adonai, rerum rector, cui nulla potestas
Obniti in terris: nemo Dynasta potest:
Qui justè errantes plectis, misereris eorum,
Facta retrectantes qui rediêre mala:
A percussorum manibus nos erue vindex,
Frange tumescentes corde, odiumq; preme:
In vanum illorum converte & projice technas,
Atq; instar clipei nos tua dextra tegat.
Demus ut incolumnes laudis tibi jubila nobis
Quem penes est Palmas Marte tonante dare.
Vota memor Nati da pater ista tui.

Tempore pestilentiæ vel cujuscunq; contagionis.

Millia Septuaginta Hominum, regnante *Davide*,
De Grege stravisti, peste furente malâ:
Relliquias placuit tamen exemisse peric'lo;
Quæsumus & nostri nunc miseresse Gregis:
Quem cædit miseranda Lues & letifer annus,
Cives, ruricolas, omnia falce metens.
Parce Gregi proprio, sóntis miserere popelli,
Deq; tua lenis pone flagella manu:
Sicut & imperio percussor destitit olim,
Hanc pestem jussu sic moderare tuo.

Completorium Litaniæ.

Æterna cujus lenitas
Miseretur usq; in secula
Assueta noxis parcere,
Miseranter audi supplices:
Quamvis reatu Criminum
Quasi obligemur vinculis,
Scelerum tamen catenulis
Nos eximat compassio,
Et liberet clementia

Divina

Divina ſontes, ad decus
Noſtri Advocati jugitèr
Mediantis ad Thronum patris.

Gratiarum actiones ab Eccleſia ſuperadditæ: tempore Jac.

1 *Grates pro pluvia.*

Qui cuncta providentia
Mitis gubernas, aridas
Terras rigando deſuper
Pluvia priore & ultimâ,
Fœcunda mater ubere
Sic ut beet nos incolas:
Tibi gratias perſolvimus,
Cantamus Allelüiah;
Quòd cum gravis neceſſitas
Sitis immineret & famis
Terræ repleviſti arida
Pluviis hyantis guttera:
Non abſq; noſtro commodo,
Solatii cum fænore,
Poſt mentis ægræ vulnera
Ad nominis decus tui.

2 *Pro ſerenitate & Aëris clementiâ:*

Qui perculiſti nuperis
Terras ruinis imbrium,
Et recreaſti denuo
Nos ætheris clementiâ.
Tibi dicimus præconia:
Tuæq; declarabimus
Benignitatis gloriam
His & futuris ſeculis.

3 *Pro opulentiâ, & rerum abundantiâ.*

Mitis pater clementiæ
Audire qui dignatus es
Eccleſiæ preces, tibi

Zelo dicatâs fervido :
Quo Dante rerum copia eſt ;
Annona nuper carior
In vilitatem tranſiit ;
Tibi gratias hoc nomine
Addicimus, clemens pater
Petimuſq; ut indies Gregi
Benignitatem porrigas,
Terra ut refundat de ſinu
Nobis opes cum fænore.

4 *Pro Pace & Victoriâ.*

Qui turris es firmiſſima
Adverſus inſultus graves
Hoſtis ruentis in gregem,
Servoſq; Chriſti credulos :
Salutis auctori tibi
Laudes paramus, jubila
Grati ſonamus, quos modò
Propinqua mors circumſtetit :
Agnoſcimus, bonitas tua
Miſerta ni fuiſſet his
Præda iiſſemus dedita :
Agnoſcimus, manus hæc tua eſt
Et palma , cum res exiget
Renovetur indulgentia,
Ut totus orbis noverit
Quòd noſter aſſertor ſies :

5 *Pro ceſſatione Peſtilentiæ :*

Qui vulneraſti ob crimina,
Et ſtrage communi Reos
Peſſum dediſti plurimos,
Vagante Peſtilentiâ.
Occiſionis in die
Propriæ memor clementiæ

Alia gratiarum formula.

Divina ſi Nemeſis graves
Pœnas tuliſſet, lex Dei
Qualcunq; nobis intonat :
Jure obtigiſſent ſontibus,
Numeroſa pœnarum mala
Numeroſa propter crimina

Contagio

Contagio ponens modum
Nos liberasti rabidos;
Quid ô litemus eruti
Fati supremi faucibus?
Animos & artus sospites
Vivam feramus victimam,
Jugi canentes carmine
Benignitatem, Dum tui
Sacrarii testudine
Popellus astat spissior:

Meritumq; duri pectoris,
Sic confitemur supplices:
Sed mitigat clementia,
(Præeunte pœnitentiâ)
Lethalis ardorem febris
Rabiemq; pestilentiæ:
Auditur æde qualibet
Salutis & vox gaudii.
Laudes feramus jam tibi
Et gratiarum victimas:
De corde læto jubila
Cantemus Alleluïah:
Tibi pangimus soteria
In Christi Iësu Nomine.

Collectæ ab Ecclesiâ sic dictæ per elleipsin, quod preculæ sint breviores ex Epistolis, & Evangeliis collectæ.

1a. Dom. in Adv.

Gratia sub nostro figat tua pectore longum
Hospitium, Christi luci-satoris ope;
Pulsa Animis scelerum procul ut caligo facessat,
Lucis adaptemus quilibet arma sibi,
Dum vitæ stadium decurritur, ipse quod olim
Exegit celeri magnus Athleta pede;
Venit, vicit, inops vixit sub tegmine Carnis,
Viseret ut parili conditione pares:
Cælestem indultus mundi quoq; fine coronam
Vivis & cassis lumine jura dabit:
Da pater insignis vitæ immortalis amictu,
Nos quoq; cum Christo posse redire duce.
Hoc det convictor tecum cum Flamine Christus:
Tres date; Tergeminus sed Deus unus, Amen.

2a. Dominic. in advent. collect.

Te Domino mittente Deo, liber entheus extat,

Et nostra teritur pagina sacra manu:
Aure, oculis, animis haurite arcana, notare,
Discere, Scripturas das benedicte pater:
Institue & recrea sacri solamine verbi,
Nostraq; composita pectora mente para,
Ut repleat miseros spes illa beata Salutis,
Quæ Christo nobis adveniente datur.

Tert. Dom. in Adv. Coll.

Exaudi propiùs non judex hac vice, sed nos
Vise tuâ mitis conciliator ope,
Lampade nunc Stellæ radia nos exorientis,
Et jubare illustra pectora cæca Novo.

Quart. Dom. in Adv. Coll.

Exere virtutes, & nos invise potenter,
Ut forti miseris auxiliere manu:
Peccati implicitis, laqueis scelerumq; catenis
Expediat mitis Gratia, & alma fides;
Proq; reïs Christus respondeat, Arrha salutis
Cui tecum & sacro Flamine gliscat honor:
Eruat ut subitò vinctos tua Gratia, Christo
Dante lytrum: semper par decor esto tribus:

Die nativitatis Sacrosancti Christi Iesu. Collect.

Mirandum nobis sobolem tua Gratia ab alto
Fungier humanâ conditione dedit,
Virgineoq; utero natus prodivit in auras,
(Hæc quoq; mirificæ tessera prolis erat)
Admonet officii lux ista reversa per annos
Mille & sexcentos, lustra superq; Decem,
Ista renascendi Lux, & genitura quotannis
Esto tuis felix, Principiumq; potens,
Ut redeunte Die renovet nos spiritus almus,
Simus adoptivo jure propago tua:
Hoc da pro Christo qui tecum in sæcula vivit, &c.

Festo

Festo Sancti Stephani protomartyris, Collect.

Si percussores *Stephanus* mitescat in Hostes,
Quilibet in fratrem mitior esto suum,
Da Deus, offensas aliis gens sacra remittat,
Par homo vicinum, sit licet hostis, Amet,
Par super hoste preces fundat: sic Frater & Hostis
Vel tibi nullus erit, vel tibi charus erit.

Festo Sancti Johannis Evangelistæ, Collect

Irradiet cætus tua lux illapsa fideles
Doctrinæ niteat sponsa decore novo,
Sponsa ab *Joannis* doctrinâ fulgeat, (ille ut
Præco Evangelicus, sic vir Apostolicus:)
Da pater irradient nos visa, supernaq; dona,
Qualis sunt vati participata tuo.

Festo Innocentum, Collect.

Innocuum celebrat miris te laudibus agmen,
Turbaq; nata recèns, turbaq; voce carens,
Non has articulant linguis, sed sanguine signant
Exhalando animas & moriendo canunt:
O Deus in nobis ictu peccata trucida
Mortali, vitiis lætifer esto malis;
Da, quam protulimus (fidei nam tessera veræ
Vita proba est) factis edere posse fidem.

Festo circumcisionis Dom. nostri Iesu Christi; Collect.

Qui subdidisti ritibus
Möyseos legalibus
Christum tuum charissimum
Nostro loco & nostro bono:
Natumq; jussisti pater
Præputium deponere
De more bis quarto die;
Qui nunc adest ex computo.
Da (summe Regnator poli)
Hæc ansa sit cultoribus,

Ut exuamus cordium
Non corporum, præputia
Tuâ soluti gratiâ
A carnis appetitibus
Mundiq; damnandis strophis
Ad velle flectamur tuum.

Festo Epiphaniarum Collect.

Qui prænitente stellulâ
Fidem dedisti gentibus
De filio tuo unico
Recèns in auras edito;
Hoc orbe divinum tuum
Da numen agnoscentibus
Credamus; instar Syderis
Ut Christiana stet fides:
Donec propinquis visibus
Communicetur clariùs
Dietatis ingens gloria
Cœleste per Christi jubar.

Collect. prim. Domin. post Epiphan.
Paraphrasticè reddita.

Accipe suffimen precularum, more magorum,
Quas tua Gens tanquam Thurea dona, dicat,
Accipe sinceram peccati carnificinam,
Quam ferimus, tanquam Myrrhea dona tibi,
Accipe regales (quia rex es summus) honores,
Ut nos erudiit lamina fulva data,
Cætera discamus, quæ signo & testibus aptis
Christicolas docuit Persica prima Fides;
Credenda & peragenda Doce; nec credere tantum
Sed tibi nos ipsos viva litare sacra:
Scire & velle bonum; mature educere in actum,
Dum Christi nostros Spiritus intùs alit:

Secund. Domin. post Epiph. Collect.

Qui lege æternâ cœlestia sydera volvis
 Et nutu placido terrea regna regis:
Mitiùs exaudi dum te reverenter adorat
 Et tibi suppliciter Gens tua vota dicat:
Nobis seclâ fluant Saturnia, pace popellum,
 Face tui vultus interiore bea:
Ut dum te cupimus cultores sicut Eöi,
 Visere, pacificè conficiamus iter.

Digressio auctoris de Evangelio pro die.

In Canâ dum magna cohors Hemenëia tractat,
 Legitimo voluit Christus adesse choro:
In vinum vertens Achelöia pocula; factum
 Ut Deitatis erat, sic pietatis opus:
Nam populo Fidei fuit ansa & causa salutis,
 Mirificus captat barbara corda stupor,
Numinis exerto nata est reverentia signo,
 Nam flexit sensu cor mediante Fides;
Edidit atq; dedit miracula, dona superna,
 Illa parant animos, Gratia deinde subit.

Tert. Domin. post Epiphan. Collect.

Clemens Deus per secula
 Potentiæ durabilis,
 Nos intuere mitiùs
 Utraq; parte morbidos:
Quêis lepra fœdat crimimum
 Mentis recessus intimos,
 Quêis membra ad extra corporum
 Cohors adurit febrium:
Ab omnibus periculis,
 Carnis necessitatibus
 Et Tartari de faucibus
 Nos eruat manus tua.

Per unctionem Spiritus,
Per Christum Iësum vindicem
Virtute nos chirurgicâ
In unge, Sana, Libera.

Quart. Dom. post Epiphan.

Qui fragiles nosti vario discrimine cinctos,
Hinc culpâ, pœnâ hinc exagitante reos;
Sic ut nemo diù felix & criminis expers,
Quin ruat in vetitum, cùm tulit hora, malum:
A te subsidium contingat vindice duplex
Oppressis animis, corporibusq; salus:
Ut mala quæ patimur peccatis debita nostris,
Divinâ adjuti fracta domemus ope:

Quint Dom. post Epiphan. Collect. ex Evang.

De satione tuâ evellas zizania amara
Nosq; sub innocuâ religione fove:
Quas noto cinctas Ecclesia claudit ovili,
Avertat caulis nullus abactor Oves:
Vindiciis tua sed tutis Gens credula duret,
Quam spes divina longa favoris alit.
Per Christum donec perfecta effulserit Orbi
Gloria, Christiad'um distribuenda choris.

Dom. Septuages. Collect.

Exaudi preculas luctus primordia, manes
Dum patimur proprios quilibet ante Diem:
Ante diem luimus, tu nobis eripe nosmet,
Gratia sola tua est, gloria tota tua.

Digressio auctoris super Epist. & Evang. pro die,

Lectio sacra hodie, nos in nos provocat hostes,
Dum castigando membra domare jubet,
Nobile vincendi genus est, te carne subactâ
Vincere, victorem cælica palma manet,
Dum cor confringis, simul & peccata retundis,
Carnificina proba est, cordoliumq; pium.

Auctoris

Auctoris ejaculatio ad S.Triaden: de voto jejunii Quadragesimalis.

Me mihi, te pro me, mecumq; habitare dedisti
Numen, Sum triplici jure deinde tuus:
Sum tuus ereptus Titio, à me sospite triplex
Uni--tergemino debita palma Deo est:
Me patri; vitam pro Christi laude paciscor;
Dona paracletus quæ dedit ipse ferat:
Sed quid inops voveo, accepi cum cuncta supernè,
Nec mihi de proprio suppetit, unde feram?
Tantum velle dabo, dives mihi sola voluntas;
Illa pusilla quidem, propria mica tamen.

Dom. Sexages. Collect. ex Epist.

Non genio, ingenio, fortunâ, marte vel arte,
Non propria pendet de cruce nostra salus,
Non animo invicto non nostris nitimur ausis:
(Seu patimur, licitum sive patramus opus:)
Det Deus eventus, cum nos adversa lacessunt,
Avertat, mediis expediatve malis.

Auctoris ejaculaio.

Dextra Deus multis, & telum missile; Sed vir
Ille Dei dextræ, dextra Deusq; mihi.

Auctoris digressio de Epist. Sexagesima, quæ recitat perpessiones Sancti Pauli.

Tempora ab exemplo celebremus tristia *Saulis*,
Qui fuit æthereâ doctus ab arce pati;
Et cui Martyrii instituit primordia Christus,
Voce monet, privat lumine, sternit humo:
Mox vitam exegit vario discrimine *Paulus*,
Mollitiem vicit, duraq; passus obit,
Deserto, Urbe, Agris, Terra pellagoq; , flagella
Probra, latrocinium, naufragiumq; tulit,
Frigus, egestatem, ignotis peregrinus in Oris
Æstus; sæpe fame sæpe premente siti:

Et quadraginta minus uno flagra recepit,
Flexilibus virgis ter quoq; cæsus erat:
Gentili populo; gentiq; invisus apellæ:
Nulla parte salus, undiq; mille neces:
Se quoq; castigat, post tot tormenta malorum,
Accumulat pondus portitor ipse suum:
Abstinet, exercet jejunia, nocte dieq;
Invocat, officiis invigilatq; sacris,
Præter onus commune Gregis; Res si malè cedat,
Uritur, & curam, ne mal: cedat, habet;
Gentibus interea divina oracula fundit,
Deniq; Martyrii cingitur aureolo,
Hæc merces operum, sola est hæc palma laborum:
Abscissum decorat Dia corona caput:
O mihi contingat vestigia semper adorem
Pauli; fata pati Mors aliena jubet:
Crux aliena jubet, solium conscendere Regis;
Sic *Paulus* monstrat, sic mihi Christus iter.

Quinquagesima Dominica, *Collect.*

Tua nos monent Oracula
Accepta quòd sint munera
Tibi nulla per nos præstita,
Nisi charitas adsit comes,
Infunde nobis halitum,
Perfundat hoc charismate
Præstante nos; nam vinculum
Est pacis, & fidelibus
Virtutis almæ tessera,
Quicunq; vivus hoc caret;
Languescit, & vitâ caret;
Idemq; te coram, Deus,
Putet cadaver mortuum.

Initio jejuniorum ; vel Die Cinerum, ut vocant.
Collect.

Non opus invisum reddit structura Creantis,
Quælibet artifici fabrica chara sua est :
Nos ut opus manuum Squalentes respice Mitis ;
Nempe tuos hâc Spe volvimur ante pedes ;
Tu refice immundos, contritaq; corda refinge ;
Ut fluat ex puro corde Doloris aqua,
Ut lachrymis pereant immersa & verbere planctus
Crimina, ut intereant, quæ peperere, mala,
Ut perfecta reis nobis clementia mæstis
Ex omni absolvat parte salutis opus.

Prim. Domin. quadrages. Collect.

Longa peregisti noctes jejunia Iësu
Per quadragenas, per totidemq; dies
Temporis irruptâ serie ; tibi dum sitis haustu
Nullo extincta, fames nec saturata cibo ;
Exemplum statuit nobis jejunia, ut illis
Utatur pietas, (quà licet illa sequi)
Spiritui ut subjecta suo caro militet omnis,
Exigat & vitam numine ducta tuo
Tramite justitiæ tibi gens dilecta, ad honorem
Nominis æternum, qui sine fine viges.

Secund. Domin. Quadra. Collect.

Cùm nemo nostrûm sit sibi
Præsens laboranti Deus,
Animas ad intùs tu Deus
Corpusq; ad extrà protege ;
Longeq; corporalia
Abigantur infortunia ;
Nos mentis à suggestibus
(Dum prava suadet) subtrahe,
Ne fortè nostris irruant
Animabus imprudentiùs,

His

Hisq; inferant dispendium
Tentationis impetu.
Tert. Dom. Quad. Coll.
Tu vota suspirantium
Imò ex barathro cordium
Vultu benigno respice &
Audi popellum supplicem;
Extende brachium tuæ
Insignis excellentiæ,
Incursiones hostium
Carnalium adversus malas.
Quart. Dom. Quad. Coll.
Prout meremur, plectimur
Nobis ab ipsis, ô Deus,
Per corporum jejunia;
Per cordium suspiria;
Nos gratiæ Solatio
Jam languidos refrigera,
Ut recreemur balsamo
Christi cruoris inclyto.
Quint. Dom. Quad. quæ dicitur
Per anticipationem Dominicæ passionis;
Quia in celebratione hujus jejunii
Nunc mentio fieri incipit de passione Dom.
Collect. pro die.
Mitis popellum dirige,
Bonitasq; Cœlestis tua
Animas & artus sospitet
Per Christum Iesum principem.
Anctoris interpretatio paraphrastica; ad S. Triaden.
Gloria lugubris clarescat ab Obice veli,
Tristibus exhibeas ora videnda Deus;
Respice pacator mundi, Regnator Olympi;
Nos pater à solio, de trabe Nate vide:

Nec

Nec procul à populo, quamvis squallente, recedat
  Spiritus; in Trino Numine tota salus.
Auctoris rapsodia de appropinquante Passione.
Humanæ similis palmæ nubecula surgit,
  Augmine & expansum mox glomerante tegit,
Thesbites procul hanc divino Lumine vidit;
  Arida mox pluvio rore madescit Humus;
In cruce pendentem parvum speculemur Iësum;
  (Si fas est luctûs anticipare Diem)
Mox Solis radios tenebrabit Passio Christi,
  Sanguineoq; orbem diluet imbre Deus:
Luctibus intereà laxent sua corda Fideles
  Cultorum lachrymis Arida deinde natet,
Sed neq; diluvio pereat Gens credula salso;
  Christe precor, mersis pendule tende manus;
Suppetias fer utraq; manu: Sed & altera mæstis
  Dextera, quæ mundum condidit, addet opem;
Nam Deus es; fluit hoc ex fonte Theandrica virtus,
  Hinc meritum manat, salvificusq; cruor.
6a. Dom. Quadr. proxima ante Pasc. coll.
Qui per sêcla viges, Omnipotens Deus;
Quem nostri tetigit tantus amor, tuam
Ut charam Sobolem sumere jusseris
Humanæ tegumen carnis, ut hanc tibi
Offerret moriens in cruce victimam
Pro noxis hominum; Sirps ut Adamidûm
Acclinare lubens sorte sub infimâ
Discat more Ducis, qui soboles tua
Exili statui se sine murmure
Inter Terrigenas subdidit; annue
Ut nos erudiat Passio Filii
Fata extrema pati; & surgere vi tui
Christi; quando dies ultima venerit,
Ut Cœli indigites simus, & incolæ.

Die passionis Dom. quæ anglice dicitur, Good Friday.

1*a. Collecta.*

Quæsumus, Omnipotens; hujus Lamenta popelli
Respice Sydereâ mitis ab arce Deus.:
Cujus amore dedit manibus se sponte malorum,
Nec renuit sævo Christus ab hoste capi;
Nec se odiis Hominum timidè subduxit Iësus,
In cruce sed fixus fata probrosa tulit.

2*a. Collecta.*

Qui Christianos dirigens
Purgante lustras halitu,
Sume hæc precum libamina
Oblata eorum nomine;
Nam te rogamus supplices
Ecclesiis pro dissitis
Loco, & propinquis cætibus
Membrisq; Christi singulis;
Juxta statum cujuslibet
Pro Christianis omnibus,
Pro congregatis hoc loco
Precationes percipe:
Ut quisq; contentus suæ
Vocationis orbitâ
Tibi corde vero adhæeat
Te cultu adorans debito.

3*a. Collecta.*

Deus, cüi primordium
Humana debet fabrica;
A quo nihil, quòd posteà
Abominaris, conditum est;
Sed qui reverti Adamidas
Omnes, nec ullos vis mori:
Remitte perduellibus
A stirpe missis Isaci

Miserere

Miſerere Gentis Turcicæ,
Et parce cæcis Ethnicis,
Quos fallit infidelitas,
Seduxit aut quos hæreſis ;
His mitis ignorantiam
Callumq; cordis exime,
Verbiq; ſacri nauſeam
Odiumq; pelle Evangelî :
Beate paſtor hos age
Ad ovile palantes tuum,
Ut aggregati cum tuis
Serventur Iſr'eliticis
Succreſcat ut Grex unico
Eccleſiæ pomærio
Sub Chriſti Iêſu virgulâ
Opilionis Maximi.

Primum Anthema, Feſto Paſchatis, die reſurrectionis.

Non moritur Chriſtus ſtygio redivivus ab orco,
Mors victa in Dominum nil ditionis habet :
Tolleret ut culpas, fati vice ſimplice functus,
Morte redux, vivit jam ſine fine Deo :
Langueat examinis, cùm blandimenta laceſſunt,
In Chriſto diſcat vivere quiſq; Deo :

Secundum Anthema.

Vitæ primitiæ redierunt morte ſopitis,
Dum Chriſtus vitæ teſſera prima redît ;
Unus Homo interitum mortalibus intulit ægris,
Juſq; reſurgendi præbuit unus Homo :
Ut ſtirps omnis, Adæ culpâ, eſt obnoxia morti ;
Sic vitæ, Chriſto fit vegeante capax.

Feſtivæ Paſcat. hepdomadæ die Martis: vel feriâ 2a. Coll.

Qui nobis ſobolem æternam (pater alme) dediſti,
Triſtem pro Miſeris mortis obire vicem,

Rursus & à mortis laqueis potuisse redire,
Justos ut solium sisteret ante tuum:
Da pater, à vitiis redivivi ut rejiciamus
Fermentumq; odii, flagitjiq; luem,
Ut nos, infantesq; novi virtute lavacri
Te sine tabe odii, te sine labe colant.

2a. Dom. post Pasc. coll.

O qui dedisti victimam
Noxis piandis inclytam,
Speculumq; vivendi probè
Tuam, Deus, propaginem;
Da gratiam nobis, frui
Utroq; Christi commodo, ut
Possimus ejus sanguine
Morumq; normâ vivere:
Ut mors piamen criminum,
Sit vita lux fidelium;
Dum credimus voci illius,
Vestigiisq; insistimus;

3a. Dom. post Pasc. coll.

Qui veritatis lumine
Lustras per orbem devios,
Redeant ut omnes in viam
Sinceritatis unicam:
Concede membris omnibus
Recèns receptis corpore
Communiones mystico,
Baptismatis per tesseram:
Ut ab omnibus contrariis
Professioni abhorreant,
Operum sequaces indies
Quæ Christianis competunt.

4a. Dom. post Pasc. coll.

Qui vinculis affectuum

Mentes ad unas dispares:
Et charitate Spiritûs
Coire suades credulos.
Da cordium Zelantibus
Studiis amemus, quod jubes;
Ut deinde quæ promisseris
Desideremus unicè,
Ipsiq; dum versatiles
Mundi rotamur casibus
Adhæreant immobiles
Mentes supernis gaudiis.

5a. Dom. post Pasc. coll.

Deus unde manant res bonæ
Tanquam perenni gurgite,
Immitte servientibus
Flatum benigni Spiritus;
Ut suggerantur mentibus
Agenda, quæ sunt optima,
Et sortiantur exitum
Tuo beato numine.

Festo Ascens. coll.

Ut Christianorum fides
Nos erudivit credulos,
Christum tuum Natum unicum
Cœli petisse culmina;
Sic Christi ad exemplar tui
Concede nobis, ætheri
Pars illa nostri debita,
Cœli petat fastigia;
Possimus ut perenniter
Ejus frui commercio,
Primum soluti corpore, &
Carnis reinduti cute.

Dom. post Ascens. fest. Collect.

Qui Christum Iësum filium
Claris triumphis inclytum,
Cœlestis ad fastigium
Regni, tulisti paincipem :
O rex perrennis gloriæ,
Solamen omne cætibus
Ne destituis subtrahas
Absente jam Gregis duce :
Sed mitte Spiritum tuum
Ejus paracletnm loco ;
In mansiones evehe
Nos, quas adivit filius,
Cum patre qui vivit suo
Regnatq; cum sacro Halitu
Unus perenniter Deus,
In seculorum secula.

Festo Pentecost. quod Angli vocant Whit Sunday, *collect.*

Candida lux oritur gemino quæ lampade lustrat,
Sole orbem, populum Flaminis igne sacri,
Flaminis æterni virtute fidelibus afflat ;
His, spirante illo, cor Deus inde sagax :
Credula gens flatus solamine gaudeat hujus,
Nato da Deus his dona merente tuo,
Qui tecum, & consorte pari per secula vivit
Et regnat semper : sed Deus unus, *Amen.*

Die Dom. Sanctæ Trinit. F. collect.

O qui tuorum munere Gratiæ
Corda imbuisti, quâ fidei facit
Confessionem Christianæ
Credula Gens apices per omnes ;
Et quâ perennis nos Triados decus,
Et gloriosæ quâ Monados quoq;
Agnoscimus numen verendum,

Te colimus, petimusq; ; semper
Corroborati stemus in hac fide
Nullo malorum turbine mobiles,
Qui vivis & regnas per orbem
Perpetnò Deus unus, *Amen.*

1*a. Dom. post Trin. Fest. coll.*

Tutela confitentibus
Et robur exaudi Deus ;
Nam nulla nobis te sine
Vis rectè agendi est insita ;
Succurre nobis languidis
Favoris adjutorio,
Legis sequaces, ut bonis
Scita exequamur moribus.
Nostra ut voluntas par tuæ.
Et facta sint conformia
Normæ sacræ ; grati ut tibi
Utroq; simus nomine.

2*a. Dom. post Trin. coll. de timore & amore Dei.*

Inde metum nobis, & amorem Nominis adde,
Ille vetat scelus, hic provocat Officium :
Quos amor erudiit justâ formidine doctos,
Accipis ; & charos semper amore foves :
Sic columen, regimenq; tuis erit utraq; virtus ;
Dum peregrinamur, fidus uterq; comes.

3*a. Dom. post Trin. coll. de efficacia orat per Christum.*

Exaudi orantes & quos ardore precandi
Tangis, ne frustra fundere vota sine ;
Auxilio defende tuo, nos ut tueatur
Divinâ incolumes Christus Iësus ope.

4*a. Dom post Trin. coll. de terrestribus.*

Regnator orbis ò Deus,
Custos eorum qui fide
In te recumbunt, quo sine

Nil permanens, ſanctum nihil:
Tua multiplex clementia
Abundet in nos indies,
Ut tranſigamus te duce
Mundana ſic negotia,
Ne Dia pars terreſtribus
Intenta, Cœlum negligat;
Segniſq; ad immortalia
Ab hiſce prorſus exulet.

5a. Dom. poſt Trin. coll. de pace externâ in ordine ad religionis officia publica.

Supreme, clemens, & potens,
Ubiq; temporalia
Rectore te per omnia
Pace ordinentur publicâ,
Ut congregata Eccleſia
Ad ſanctitatis munia
Per te fruatur otio
A ſole eöo ad veſperum.

6. Dom. poſt Trin. collect. de præmiis cœleſtibus, & Dei promittentis.

O qui paraſti debito
Amore te Zelantibus
Miranda rerum præmia
Cœlo ſupremo abſcondita:
Perfunde mentes quæſumus,
Amoris hujus augmine;
Ut ſis medullis propriis,
Animiſq; nobis charior:
Promiſſionum Da tuis
Auguſtiores exitus,
Quàm ſi claretur optio
Vota ampliandi liberè;
Concede tranſcendentia

Promiſſio-

Promiſſiones præmia,
Quæ verba vincunt omnia
Quæ vota vincunt omnia.

7a. Dom. poſt Trin. coll. de progreſſu in bono.

Virtutis & potentiæ
Deus, auctor omnis qui boni
Idemq; largitor, Tui
Amore ſervos imbue,
Ardore ſuffla nominis
Zeloq; cultus excita;
Bonitatis omnis augmine
Nos indies fac creſcere,
Et nos adultos in bono
Conſervet indulgentia
Divina in ævum, quæſumus
Per Chriſtum Ieſum Principem.

8a. Dom. poſt Trin. coll. de providentia Dei.

Cui perſpicax eſt palpebra
Decepta nullâ imagine
Nos intûere noſtraq;
Vigilante providentiá,
Nociva nobis amove,
Quæcunq; proſint, admove;
Fugienda quæq; agendaq;,
Per Chriſtum Ieſum dirige.

9a. Dom poſt Trin. coll.p ro Gratia.

Sic corda nobis unguine
Perfunde ſacri Spiritus.

10a. Dom. poſt Trin. coll. de licitis petendis.

Famulis reclude aures tuas
Dum poſtulant legittima;
Tibi grata quæ ſunt ſuggere,
Ut ſint eorum compotes
Sic fonte vota & exitus

Manant

Manant ab uno Gratiæ;
Metamq; ad unam Gloriæ
Tendunt Iësum per ducem.
11*a. Dom. post Trin. coll. pro gratia & fide in promis.*
Cujus potestas propriâ
Clarescit ex clementiâ,
Per charitatis pignora
Miseris salutem dum paras;
Unctis benigno Spiritu
Sit fas asylum profugis
Promissionum quærere;
Fideq; firmâ prendere;
Tandemq; nobis da pater,
Superas opes attingere
Cœlo empyræo conditas,
Christi merentis præmio.
12*a. Dom. post Trin. coll. de perceptione votorum.*
Æterne, Omnipotens, cujus bibit ocyùs auris,
Quàm preculas hominis fundere lingua potest;
Plus donare soles, plus condonare popello
Quam voluisse sibi, quàm meruisse potest;
Imparibus votis, meritis nec poscimus æquis,
Angustum quibus est cor, meritumq; nihil;
Imbre riget veniæ tua nos clementia sontes,
Quæq; animos terrent, facta remitte reis;
Da timidis id quod mens horret reddere verbis,
Quodq; pudor voti conticuisse jubet.
13*a. Dom. post Trin. coll. de fide in promissis.*
Ex cujus dono, clemens Deus omnipotensq;,
Fungimur officiis non sine laude piis,
Ad promissa alacres tua sic properemus, inani
Ultima ne fallat credulitate salus.
14*a. Dom. post Trin. coll. de virtutibus Theologicis.*
Trino sorores ordine

Lapsæ

Lapſæ ſupremo ab æthere
Sub corde creſcant augmine
Juſto, Fides, Spes, Charitas ;

15. *Dom. poſt Trin. coll. de periculo lapſus.*
Eccleſiam perenniter
Tua protegat clementia,
Humana cùm ſit ad malum
Proclivis imbecillitas ;
Ex gratiæ fulcimine
Ne ceſpitet, corrobora,
Ad illa ſemper provoca
Quæ ſunt ſaluti commoda.

16*a*. *Dom. poſt Trin. coll. pro cætu præſente.*
Perennis indulgentia
Tua luſtret hos, qui propè ſunt,
Et congregatos protege
Nos te rogamus ſupplices :
Quia cætus omnis impotens
Vi propriâ eſt ſubſiſtere ;
Propè ſis, & iſtum dirige
Bonitatis adjutorio.

17*a*. *Dom poſt Trin. coll. de periculo lapſus.*
Gratia parte duplex tua nos tueatur utráq; ,
Præveniens ſit dux, & comes eſto ſequens :
Ut deſudemus virtutis pulvere honeſto,
Quiſq; bonum ſtudio perpete tractet opus,

18*a*. *Dom. poſt Trin. coll. pro gratia.*
Servos fideles unguine gratiæ
Perfunde contra peſti feras lues
Vafri Satanæ, quod repellat
Fortiùs antidoto venena
Tentationum cordibus à piis;
Ut mente purâ experteq; criminis

Numen

Numen colamus te ſuprem um
Non Domini alterius ſequ aces:

19a. Dom. poſt Trin. coll. pro adjutorio.

Placere quando nos tibi
Sumus impotentes, te ſin e,
Tuo quoq; abſq; numine
Parere prorſus debiles,
Concede clementiſſime;
Coadiuvans per omnia,
Tua lenitas nos dirigat
Et ritè mentes ordinet.

20a. Dom. poſt Trin. coll. pro obedientia.

Munificâ, Jehova, tuâ bonitate faceſſat
O procul à nobis quicquid obeſſe poteſt;
Ut mente accincti ſincerâ & carne ſubactâ,
Corde capeſſamus juſſa volente tua.

21a. Dom. poſt Trin. coll. pro remiſſione & obedientiâ.

Remiſſionem criminnm
Serenitatem cordium,
Tuo popello credulo
Dignare clementer dare;
Ut abluantur ſordibus
Et fulciantur viribus
Animo quieto alacriùs
Juſſis tuis ut pareant.

22a. Dom. poſt Trin. pro Eccleſia.

Cuſtodi famulos pietate; & vindice Chriſto,
Soſpes ad adverſis ſit tua ſponſa malis,
Quælibet ut proles Patri tibi ſerviat uni,
Dum fugienda odit, dum facienda probat.

23a. Dom. poſt Trin. coll. de voto Eccleſ.

Vis noſtra & columen, pietatis fons & aſylum
Chriſte, audi ſponſam dum tibi vota litat;
Nos quoq; quod petimus ſanctâ cum matre fideles,

Concede

Concede, ut certò parcipiamus opus.

24a. *Dom. post Trin. coll. de relaxatione pecca.*

Exoneret populum, & bonitas divina relaxet,
Obrepunt animo quæ renuente, mala;
Nec ſemper teneat culpæ pœnæq; catena,
Nec cruciet fragiles illa vel illa reos.

35. *Dom. post Trin. coll. de operibus & mercede.*

Animos popelli provocâ
Ad charitatis munia;
Fructus abunde proferant
Et par reportet præmium.

Festo Sancti Thomæ, collect.

Qui dubitare Thomam de Christo à morte reverſo
Paſſus es, ad firmam deinde redire fidem;
Da Domine, exemplar proſit; doceatq; fideles
Firmatus Dydimus non variare fidem,
Quando pares Dydimi ſumus omnes præcipitati
Simus ſurgentis, te quoq; dante, pares.

Festo Converſionis Sti. *Pauli, collect.*

Vas per Apoſtolicum toto qui Gentibus orbe
Sacra propinâſti myſteria; Da Deus olim
Spirantis flammas dein per miracula verſi
Hiſtoriam memores dum volvimus, hunc imitemur,
Et re præſtemus tanti documenta Magiſtri.

Fest Purificationis, collect.

Suppliciter petimus pro majeſtate verendâ
Ut ſoboles hodie tua te coram unica matris,
De more infantum, media teſtudine templi;
Credula gens ſine labe tuas ſiſtamur ad aras
Perluſtrati intùs pretioſo ſanguine Ieſu.

Festo Sti. Matthiæ, collect.

Iſcariotæ qui loco
Sorte ordinaſti Matthiam
Apoſtulatus computo,

Perfectus

Perfectus ut succresceret
Duodena juxta nomina.
Concede veræ Ecclesiæ
Ut tuta sit te vindice
Usq; à malignis fratribus
Cunctisq; pseudapostolis;
Da dirigatur præsulum
Auctoritate, antistitum
Prudentiâ, legittimis
Rectoribus, Pastoribus
Per Christum Iësum filium.

Festo Annuciat. S. B. Mariæ Virginis.

Conceptionem Mirificam Dei
Matri Beatæ nunciat Angelus;
Hanc credidit de se futuram
Credimus hanc quoq; sic fuisse:
Da passionem quæsumus & crucem
Christi applicemus notitiâ pari,
Ut credulos fides Iesu,
Evehat ad decus excitati.

Festo Sancti Marci Evangelistæ, coll.

Qui voce Marci incusseris
Evangelistæ credulis
Verbum salutis, fortiùs
Quàm raucat hirsutus Leo,
Da gratiam, ne dogmatum
Circumfretemur fluctibus,
Ut pusiones flexiles,
Sed fulciamur per fidem
In veritate Evangeli.

Festo Sti. Philippi & Sti. Jacobi, coll.

Te sempiternum scire Deum probè
Fert sempiternam rite scientibus
Vitam, Deus da scire Iësum

Qui

Qui via vitaq; veritasq;
Illud Philippo, sicut & omnibus
Olim dedisti munus Apostolis,
Largire nobis idem rogamus,
Scire Deum, bene scire Christum.

Festo Sti. Barnabæ, collect.

Qui dotibus clarissimis
Sanctum imbuisti Barnabam
Apostolum, Spirabilis
Electione numinis:
Da dona nobis cœlitùs
Et subsequentem Gratiam,
Ut exequamur, Spiritus
Quæ suggerit feliciter.

Festo Sti. Johannis Baptistæ, collect.

Omnipotens, cujus dono prodivit in auras
Zacharides, Matris sera propago suæ;
Egregius vates, Regis præcursor Olympi;
Auctor ut, exemplum sic pietatis erat,
Dum monet à vitiis vestigia vertere pravos,
Dum resipiscentes dirigit Arte novâ,
Annue ut exemplum vatis, doctrinaq; prosit,
Imbue nos forti pectore, dura pati,
Non falsum asserere, audacter perstringere sontes,
Nec metus, aut timidos obruat ora pudor.

Festo Sti. Petri Apostoli, collect.

Insigniisti qui Petrum
Apostolorum præsulem
Multiplici charismate,
Decorante Christo principe,
Oramus, omnes supplices
Episcopos & Parochos,
Annunciare oracula,
Per Conciones publicas,

Da, ne popellus negligat
Aut obstinatè obmurmuret
Oraculis sed pareat
Vivat dein feliciter.

Festo Sti. Jacobi, collect.

Jacobus ut patrios Lares
Neglexit & rem propriam;
Sectæq; adhæsit Christidos,
Repente Christum subsequens,
Concede nobis illicò
Mundi relictis ut strophis
Studiis sequamur seriis
Legis tuæ dictamina.

Festo Sti. Bartholomæi, collect.

Ascivit numerò procerum tua Bartholomæum
Gratia, Par esset juris Apostolici,
Crederet & Fidei passim documenta sonaret,
O Largire Deus munus utrumq; Piis,
Ut credant pariter divina oracula tractent,
Ut doctrina Hujus, sit quoq; grata fides.

Festo Sti. Mathæi Evangelistæ, collect.

Mathæus olim lucra telonii
De more captans, non sine numine,
Evangelista Apostolusq;
Fænore mox cluit abdicato,
Vocante Christo sic placuit tibi, ut
Servus rediret; tolle cupidines
Nobis avaros, ut sequamur
Morigeri Dominum vocantem.

Festo Sti. Michaelis, & Angelorum.

Cæli Quirites, Angelicos choros,
O Rex ministros numine qui regis
Supremus, & mortale vulgus
Ordinibus variis coerces,

Concede,

Concede, cœtus, qui decus ad tuum
  Vacant supernis, officiis quoq;
    Terrestribus, nos te jubente
      Terrigenas rueantur ægros.

Festo Sti. Lucæ Evangelistæ, collect.

Doctus erat Medicus, fidei quoq; luce receptâ,
  Languores animi pellere doctus erat:
Arte nova, & veteri corpusq; animosq; levabat,
  Condecorat Lucam Palma deinde duplex:
Ars potior vigeat, medici doctrina salubris,
  Hæc animis utinam Pharmaca mille ferat.

Festo Simonis & Judæ Apost. collect.

Stat structura Dei posito fundamine vatum,
Stat duodenorum procerum bene nixa columnis,
Præcipuo Lapidi, Christo inclinata recumbit;
Doctrinâ veterum lapides dum Spiritus unit,
Det Deus his mediis adjuti, & numine sacro,
Ut coalescamus sancta in delubra, fidelis
Quilibet ut Domino sit grata & amabilis ædes,

Festo omnium Sanctorum. collect.

Qui copulasti vinculo
  Communionis mystico
  In Christi Iesu corpore
  Sanctos & electum genus;
Concede eorum jugiter
  Imitemur ut vestigia
  Virtutis intra limites,
  Vitæq; cancellos piæ;
Adeamus ut solatia,
Quæ lingua nescit reddere
Parata justis, qui tui
Amore flagrant Nominis.

Sacra Synaxis, vel communio Eucharistica.

Omnipotens cui vota hominum quæcunq; patescunt,

Quiq; animi fibras fundo scrutaris ab imo
Conceptus purga nostros spiramine sacro,
Daq; tuos haurire ignes, te verè ut amemus
Deq; tuo dignas referamus nomine laudes.

Sac. recitat Decalogum. Introductio.
Edidit ista Deus de monte effata tremendo,
Sum Jehova Deus, tuus olim assertor ab arvis
Niliacis, sævæq; tyrannidis æde redemptor.

1. *Præc.* Me coram aut præter nullum venerabere nu- (men

Po. reddit versus intercalares sic:
O parce nobis sontibus,
Et corda nostra exsuscita,
Ut ambulemus cautiùs
In legis hujus orbita.

2. *Sac.* Non ut adoretur Simulachrum sculptile pones,
Non Icona arcis referentem signa supernæ;
Nulla creaturæ cœlestis, nulla Marinæ
Suspicies figmenta, aut incurvabere coram
His humilis, sacros nedum libabis honores:
Namq; ego Zelotes Deus, & Jehova severus,
Cognitor & vindex, plectens delicta parentum
Sontibus in natis serisq; nepotibus, usq;
Quartam progeniem, quotquot me accendere sævis
Præsumunt odiis; idem quoq; mille benignus
Indulgens veniam, quorum præcordia amore
Incaluêre pio, mea dum præcepta capessunt.

Po. O parce nobis sontibus, &c. ut supra.

3. *Sac.* Ne nomen Domini vano incestâveris ore,
Nam Jehova reum, veniæq; piamine prorsus
Judicât indignum, Quisquis sub nomine numen
Læserit æternum, falso temerarius Ore.

Po. O parce nobis sontibus, &c.

4 *Sac.* Proxima post Sextam cum lux effulserit, illa
Alma Dies Domini est, ipsam celebrare memento

Festi-

Festivâ requie, meritoq; in secula cultu ;
Dum vacat & fas est,feliciter exige totum
Quicquid habes,per sex luces ; lux septima Sabbo'th
Jehovæ requies,operoso cassa labore ;
Non puer aut soboles, non verna negotia tractet,
Hâc ancilla,pecus, requiescat & advena tecum,
Nam per sex luces, cœlumq; , fretumq; solumq;
Conditor absolvit,cum toto appendice rerum ;
Desiit inde operum ; regina hæc ergo dierum
Officiis sacris vacat, addicente Jehovâ.
Po. O parce nobis sontibus,&c.
5 *Sac.* Auctores vitæ cole,vitam deinde colenti
Longævam dominus non inficiabitur olim ;
Promissâ indigitem quin te regione locârit :
Po. O parce nobis sontibus,&c. (tum
6 *Sac.* Non percussor eris, 7 nunquam mæchabere: 8 fur-
Non facies, 9 nec coram judice falsus
Vendes in damnum alterius perjuria testis :
10 Non quæ sunt aliena petes ; non septa domorum
Consortemve tori, famulum,famulamve bovemve
Ruricolam,aut Domini vectorem optabis asellum.
Po. O Jehova tui clemens miserere popelli,
Scribe Animis nostris cuncta hæc dictamina Legis,
Quæsumus, his saltem fiant æterna tabellis.
Auctoris digressio contra Cramerum Batavum de distributione Decalogi semel atq; iterum :vide Rivetum & Vossium.
Gens inter fluctus extat velut altera Delos,
Flabris dogmaticis irrequieta suis ;
Legibus adversa, & pacem temerare parata,
Nec bene disponit jurâ verenda Dei,
Dum variare cupit fines, tabulasq; refigit,
Dum secat, & resecat frustaq; plura legit ;
Intereà Graios,Latios,Gentem recutitam
Pertrahit ad partes, ad sua pensa vocat :

Quàm violare ſacros toties nullo ordine fixo,
  Cancellos, melius non tetigiſſe fuit:
Sunt labyrinthæis digni periiſſe cavernis,
  Qui rumpunt dubiæ licia certa viæ;
Æternùm meruêre etiam palare per agros,
  Qui Cippum triviis Mercuriale negant;
Si populo tetigiſſe nefas confinia montis,
  Cur Batavis tabulas fas variare ſacras?
Dum fines mutant, dum perplexa omnia reddunt,
  Hoc eſt Æthereas ſurripuiſſe faces,
Vulture nec dignum eſt uno; primævaq; jura
  Naturæ violant, & poſitiva Dei:
Pro luce obtrudunt tenebras; vindicta rependet
  Tereſiæ fatum, Cymmerioſq; dies:
  His ut ſol nitido ſydere nullus eat:

Oratio ex duabus altera, poſt decalog, ſic incipit

Omnipotens æterne Deus nos pagina ſacra
Erudiit, Reges & eorum te penes eſſe
Corda tuo nutu flectenda; & quòd regis illa
Supremus rector, tua qua ſapientia ducit;
Noſtro pro . . . . . oramus te ſupplice voto,
Ejus ſic moderare animum, ſic influe ſenſus,
Ut mens ſermones, ſuſcepta negotia tendant
Divini ad decoris metam; quoq; cura popelli
Excitet hunc; ipſum pace & pietate tueri
Divitiiſq; beet plebem & conſervet opimis
Mitis vota pater concede hæc nomine Ieſu.

Fides Nicena.

Credo, Deumq; patrem ſpes certa recumbit in unum,
  Qui cœli Omnipotens conditor atq; Soli,
Auctor quiq; cluit rerum; quas Lumina noſtra
  Figunt, vel fugiunt; me tenet una fides
De Nato un-genito, miſſo de patre priuſquam
  Secula prodierant: Chriſtus Ieſus is eſt:

A patre

A patre mirifice penitus, qui cuncta creavit,
Non tamen hic cretus, non tamen ille creans;
De Cælo quem traxit amor, suus & patris almi;
Et generi Humano perficienda salus;
Qui fuit à sacro incarnatus flamine, Matre
De Mariâ intactâ Virgine factus homo;
De trabe transversâ perfunctus morte pependit
Judice *Pilato*; marmore clausa caro est;
Juxta orac'la Dei promissa luce revixit,
Raptus & ascendit climata celsa Poli:
Nunc sedet ad dextram patris, olim quem redeuntem
Nubibus hinc rutilans cinget & inde decus;
Judicet ut vivos, & cassos æthere, cujus
Imperio finem secula nulla dabunt:
Qui patri & nato æquali conjunctus honore
Vatibus inspirans præscia corda dedit;
Matrem credo unam persuasus Christicolarum
Catholicam, missam stemmate Apostolico,
De condonandis veniam, maculisq; piandis,
Credo lavacra unâ conficienda vice:
Affore credo Diem, qua gens humana resurget,
De reditu proprio nec mihi vana fides:
Hâc spe suffultus serò, citiúsve recedens,
Opperior vitæ regna beata novæ.

Precatio pro Ecclesia Catholicâ post offertorium.

Nos vir Apostolicus docet (æterne, omnipotensq;
Quòd fas pro cunctis fundere vota viris,
Et grates resonare; isthæc oracula juxta,
Quæ tibi libamus' vota, precesq; cape:
Cœtum Catholicum, insuffla spiramine veri,
Hunc & pacificè tu sine fine rege:
Ut professores, qui sancto nomine gaudent;
Unanimes verbi copulet alma fides:
Ut bene conveniant peragentes otia pacis,

Pacifica ut pietas, & pius adsit amor:
Protege Christicolas reges, nostrumq; Monarcham,
Cui dedit ad sacras gratia nomen aquas:
Sub ditione hujus pietate,& pace fruamur,
Cor à conciliis stantibus inde sagax:
Imbue justitiâ reliquos sub rege ministros,
Ut jus ex æquâ reddere lance velint,
Ut luat impietas, procul & scelus omne recedat,
Ut virtus vigeat, veraq; religio;
Gratia rectoris clerum delapsa supernè
Dirigat; His adsis, ordinibusq; sacris:
Vita proba instituat, quantum præconia verbi:
Cuilibet esto sacrum promptus utrumq; dare,
Hunc, reliquosq; greges cœlestibus affice donis,
Aure bibat, memori dictaq; corde notet;
Eloquiumq; tuum dignè quoq; cultor honoret,
Te, dum vita manet, justitiamq; colat:
Deniq; cœlestis bonitas succurrat egenis,
Solare afflictos, tristibus affer opem;
Quos dura excruciat sors, & quibus ægra coarctat
Anxietas Animos, membraq; languor habet;
Da pater hæc nobis Christi mediante favore.

1a *Exhortatio ad participationem Eucharistiæ.*

Ad sumus ut Domini de cœnâ participemus,
Ad sacra convivas mysta verenda voco;
Vos imploro Dei, vos Christi nomine, adeste,
Et fungi dapibus nemo recuset iners;
Nedum ausit causare moras, quicunq; paratus,
Instituente epulas prole, vocante patre,
Convivatori est injuria, quando decenti
Ornant Triclinium bellula quæq; situ,
Æthere, terrâ, undâ, pretio, arte, labore petitas
Ordine quando offert mensa parata dapes;
Si nil absuerit convivas præter, & illos

Gratia nec ducat, nec sua pacta fides;
Rite ut participent, Dominus stomachatur: eodem
Jure, modoq; acuit fœda repulsa Deum;
Pro meritis segnes castigat sæpe vocatos,
Quòd cœnam spernunt, Ambrosiasq; dapes;
Obvertisse Deo tergum res plena pericli;
Quis regerit Domino, Nolo venire, suo?
Non facile excusant mundana negotia tardum,
Primus amor Domini est, res age deinde tuas;
Hora revertendi forsan nunc ultima; frustra
Obtendis, non sunt omnia compta mihi;
Crimen inaccinctis prætextus inutilis auget,
Sordent ante Dei judicis ora strophæ:
Villa, boves, uxor, male defendere vocatos,
Cùm nollent positas concelebrare dapes,
His ergo occlusa est cœlestis janua; Nulli
Cunctari fas est; cùm vocat ipse Deus.
Dicere nec fas est; non ausim accedere vitæ
Conscius horresco facta nefanda meæ,
Cur non ejuras scelera, & maledicta retractas
Corq; metu expediens, teq; pudore malo?
Cur tibi non melior pudor, & rubor inficit ora,
De noxis luctu cor cruciante tuum?
Structor ego compello Dei vos nomine; Si vos
Christus, si tangat pectora vestra salus:
Inter Christicolas festivam agitate Synaxin,
Explevi officium sic ego mysta meum.
Si vitam vestrâ causâ exspiravit Iesus,
In cruce cùm visus vix memor ipse Sui,
Vos quoq;, si mortis jubet hæc monumenta iterare,
Nonne ex officio commemorare decet?
Commemorativum Christi qui mortis omittit
Tam sanctum, vitæ non memor ipse suæ est.
Sin vos nulla movet suadela, injuria læsi

Numinis inflectat; supplicii; metus:
(Nam Dominum irritant spretæ ludibria cœnæ,
Inde nec accensa est mollirer ira Dei;)
Vos sontes monitu, hortatu, precibusq; retardo,
Exitium vobis accelerare veto;
Quod quisq; ardelio facit, & spectator inanis;
Esse dapes renuens, vult nec abesse tamen;
Impostura gravis, crassa & derisio cœnæ,
Detestanda viris, non toleranda Deo:
Crimen habet, cœnæ non accessisse vocatos,
Jejunare inter fercula, majus habet,
Aut nihil, aut hoc est mysteria sacra cachinno
Excipere, & sanctas commaculare dapes:
Omnibus indulsit comedendi, jusq; bibendi
Christus, & hinc mortis Symbola bina dedit;
Utq; omnes comedant, sumant quoq; faucibus haustus
Hac ego convivas conditione voco.
Quis vestrum audire hæc poterit statione propinquâ
Verba, & frontonem se tamen esse neget?
Si nil percipiat, Christi proh tessera fracta est,
Et testamenti Symbola spreta jacent;
Quin potius moneo, conventu exire piorum,
Ne mora prædicti criminis ansa fiet;
Jam discedentes animis hæc volvite vestris,
Quid, Quos consortes deseruisse juvat;
Linquitis heu mensam Domini, & commercia fratrum
Præstantes epulas, Angelicumq; cibum
Dante Deo; quivis vestrum dum corde volutat
Talia, mens redeat, propositumq; novum;
Quod Deus ut donet nobis sacra inter agenda
Non segnes erimus fundere vota Deo.

2a. Exhort. omittitur, tum quia S. Eccles. non peremptoriè Mandat; tum quia est ejusdem ferè argum. cum sequente.
3a. Exhortatio est necessariò recitanda.

Qui

Qui Domini corpus ſacra tractare Synaxi
Sanguinis & cyathum rite bibiſſe cupit;
Se priùs excutiat quàm tangat ſymbola: Pauli
Scripta Corinthiacum ſic docuere gregem:
Prodeſt divinæ ſi luctus prævius eſcæ
Cor paret, & prendat Symbola vera fides:
Tunc edimus carnem, Chriſti bibimuſq; cruorem,
Mirificè dum nos Spiritus intùs alit:
Jungimus hoſpitium cum Chriſto Spirituale;
Idem convivis ſtructor & hoſpes adeſt.
Unimur pariter, nexu coaleſcimus æquo,
(Copula quæ nullo diſſoluenda Die eſt.)
Pœna ſed indignè ſumentibus imminet atrox,
Culpa ſatis peragit ſanguinis illa reos:
Eſus inaccinctos orco prædamnat, & hauſtus,
Teſſera mortis erunt bina elementa duplex:
Dum ſpecies temerant nullo diſcrimine ſacras,
Fractio vileſcit, fuſio honore caret;
Vertitur in pœnam res ſacra, & miſſa ſubintrat
Numine ab irato corpora fœda lues
Ite Theomachi, blaſphemi, Numinis hoſtes,
Quiq; ſacrum rabidæ carpitis ore librum,
Sic quibus oraclis mos eſt obſiſtere ſanctis,
Quiq; negant Chriſti myſtica ſacra Gregi.
Siquis adulter adeſt, odii vel tabe laborans,
Aut ſcelus occulto pectore grande premens,
Exeat à cætu, fletu maleſacta rettactet,
Nec temerè inceſtet fercula ſacra Dei;
Spiritus immundus ne forte invadat hyantem,
Mentem nequitiâ, membraq; ſorde replens:
Altius ut quondam ſubrepſit in Iſcariotam,
Poſt offam intinctam: perniciemq; tulit:
Judicio voſmet maturo expendite ſontes,
Nec judex dirimat crimina veſtra Deus,

Præteritos

Præteritos jusso lapsus revocate dolore;
  Tristitiamq; juvet concomitata fides:
 Vitam perlustrate, malos deponite mores,
 Pactum cum cunctis pacis inire juvet;
 Sic habiles eritis mensis accumbere sacris,
  Trino--uni laudes & resonare Deo.
Præcipuè grates de mundo offerte redempto
 Per Christum; huic, Patri, Spirituiq; sacro
Laudes ex animo celebrate, Theandrica virtus
 Quòd mundum exemit sufficiente lytro;
Dum sese abjecit, nos & caligine mortis
 Expediit Christus pendulus ipse cruce,
Jure ut adoptivo sua pignora conciliaret,
 Chara Deo; patri charior ipse suo;
Nos & honestaret cœlestis munere vitæ,
 Nos, quibus imminuit tristior umbra necis:
Et ne tanta salus animis elapsa periret,
 Usq; sed hæreret pectore fixus amor,
Mystica constituit Dominus signacula amoris,
 Quæ nimio affligi corda dolore vetant.
Et passi dignos nunquam tacitura triumphos,
 Solantur gratis pectora mæsta typis:
Huic ergo, & Triadi gratis celebremus in ævum
 Lege hujus faciles, imperioq; regi,
Ipsum justitiâ verâ & pietate colentes,
 Nobis dum fragili corpore sensus inest.

Introite.

Quos pœnitentes intimis
 Admissa fibris vulnerant:
 Quos pace firma charitas
  Cum proximetis copulat:
Hic in propinquum assistite
 Communicantes mystica,
 Et confitentes crimina

Coram

Coram supremo judice :
Hos ante cætus in Dei
Centuriatos nomine
Curvate corpus supplices
De more flectentes genu :

Confessio generalis ante perceptionem Eucharistiæ.

O Christi pater, ô cunctipotens Deus,
O judex hominum, conditor omnium ;
Facta agnoscimus, & plangimus agnita
Delicta, ex varia quæ vice temporum
Sontes ore,opere, & corde patravimus
Te contra Dominum ; nec tua moribus
Majestas posuit turpibus obicem
Iras jure tuas hinc stimulavimus :
Non fictus super his nos dolor afficit.
Affligunt graviùs dum memores reo
Unum quodq; nefas,pectore volvimus,
Heu molem scelerum vix patimur gravem !
O Clemens, inopum quem miseret, Deus,
Nostro te moveat nomine Gratia
Obsignata tui sanguine filii
Culpis præteritis da veniam, novas
Vires suppedita ; de reliquo tibi
Vivamus Domino, vitaq; transeat
Inculpata tui nominis ad Decus.

Absolutio pronuncianda ab Episc. vel Sac. Stante

Sac. Mitis syderei climatis arbiter
Promisit veniam qui redeuntibus
Vero proposito ; Tristitiæ priùs
Et sacræ fidei conditionibus
Expletis : miserans parcat, ab omnibus
Et vos expediat criminibus malis
Et firmans stabiles moribus in bonis
Vitæ perpetuæ ducat ad exitum.

Sententia

Sententiæ ex Scripturis invitatoriæ,vario carmine.
Sac. Domini quæ gratia Christi
Ad se redeuntibus offert,
Invitamina dulcia
Captate auriculis, animisq; advertite gratis.
Primus locus ex Evang. annunciante Christo
Venite quotquot arctibus gravaminum
Torquemini, premente lassitudine,
Ad me venite,Omnes refrigerabo mox :
2. Locus ex Evang. recitante Christo
Tam dulci mundum deus est amplexus amore,
Morti unigenitam traderet ut sobolem.
Fidei sed lege benigna,
Ut viveret vitam fidelis
Sospes ab exitio perenni.
3.*Locus ex S.Paulo.* Consilî Paulus tibi vilis auctor
Ne sit, arcanum fide ubiq; dignum
Hoc tibi promit, quod Iesus almus
venit in orbem

Ferre salutem	Et tenebrarum	Menda piare,
Progenei	Soluere vinclis	Conciliare
Prevaricanti,	Atq; reatu	Pace rebelles,
Quæ cluit Adæ:	Criminis omni	Et dare vitam.

Locus 4 *ex Johanne.* Habet omnis advocatum
Reus ad dei tribunal;
Coram patre suo Christus justissimus ille est:
Qui præbet miseris animis pacale piamen:
Sac. Tollite sublimi pietatis fulgure sursum
Tollite corda Deo. *Res.*Sursum tibi corda levamus.
Sac. Reddamus Domino grates de more solenni;
Res. Expedit & par est, nos & de jure fatemur
Obstrictos huic officio, dare tempore dignas
Quolibet ad Dominum laudes, & ubiq; locorum
Præ-

Præcipuas tibi,ſed grates addicimus olim.

Die nativitatis Domini Chriſti; inter celebrandum.

Sac. Quòd nobis dederis progeniem tuam
Æternam, un-genitam naſcier hoc die
Qui virtute ſacri flaminis eſt homo
Factus de Mariæ ſanguine virginis,
Ortus matre ſua corporeum quoad
Totumq; eſſe hominis, ſed ſine crimine:
Immunis vitii, nos ut ab omnibus
Peccati maculis elueret reos. *Ergo concinimus &c.*

Die reſur. Sed nos officium plauſibus obligat
Feſtivis dominum tollere te patrem,
Quod nobis dederis, reddideris quoq;
Ereptum Dominum de ſtygio lacu
Vitæ reſtituens progeniem tuam:
Nam paſcalis is eſt agnus: & innocens
Qui nobis cecidit victima, tolleret
Ut peccata hominum,Machina quâ patet
Terreſtris medio pendula in æthere:
Læto lætifer eſt ipſe ſalutifer
Nobis, aſtygio poſt reditum lacu
Vitam reſtituens perpetuam ſuis.*Ergo concinimus,&c.*

*Die Aſcenſ.*Grates concinimus,nomine ſed tui
Chriſti, quem ſobolem diligis unicam,
Surgens poſt obitum non ſine adoreâ
Cunctis ille redux viſus Apoſtolis
Geſtans exuvias,quas poſuit modo;
Scandens ætherei culmina climatis
Raptum dum populus cum procerum choro
Viſu perſequitur, prævius ut daret,
Inter cœlicolas hoſpitium novum. *Er.concinimus,&c.*

Die Penticoſt. Per Chriſtum dominum concinimus tibi,
Cujus pollicitis flamine de ſacro
Præſtat non dubiam ſtata dies fidem,

Cum venit ſubito turbine deſuper,
Linguarum ſpecies; lapſâ ſuper-fluunt
Cætum Apoſtolicum Symbola Flammea;
Quòd verbum fidei latiùs ederent;
Linguarum ſpecies diffida denotat
Virtutem eloquii multiplicem; ſimul
Perducendi animas vim notat entheam:
Forma ignita pii fulgura denotat
Zeli, dum proceres munere publico
Perfuncti, tenebras pellere gentibus
Luce Evangelii dant operam ſacram:
Ut fæliciùs & latiùs explicent
Chriſti notitiam,& notitiam patris.erg. concini.&c.

Feſto Dom.Trin. Æterna omnipotens qui Deus unicus,
Unus qui Dominus,non tamen unica
Perſona; O triplici nomine qui cluis,
Ut ſimplex Deus es; ſic Monas & Trias;
Cujus cuncta manent condita numine:
Quantum ſancta fides attribuit patri,
Æternæ ſoboli non tribuit minus,
Et par Spiritui dat decus, invicem
Horum quiſq; alii par ſine diſpare.

Jam ſuccedit hymnus epinæticus terminans antecedentes.

Ergo concinimus cum Angelicis choris
Cunctis cœlicolis concelebrantibus,
Laudes perpetuo carmine nomini
Jehovæ, ætherei nos quoq; pars chori,
Dux exercituum ſancte ter edimus,
Orbis plena tui eſt fabrica gloriâ
Nos addicimus his, te ſuper omnia
Excelſum decoret Gloria in omnibus.

Humiliatio & precatio ante perceptionem Eucha. à Sac. nomine Synaxeos totius pronunciata.

Non noſtri intuitus Cœleſtem ſiſtit ad Aram

Alma

Alma sed allectat tua nos miseratio, frustis
Indignos minimis; mensis quæ forte sacratis
In terram fluxere; tamen tua nescia flecti
Fontibus æternis manat clementia. Nati
Da sic carne tui vesci, & potare cruorem,
Corporis ut Christi curentur nostra comestu,
Credulus ut quivis convictor adhæreat illi,
Ille habitet quoq; nobiscum junctissimus hospes.

Consecratio element. à Sac. stante : per formulam precat.

Qui tradidisti filium
Morti crucis turpissimæ
Ut expiaret crimina
Nobis redemptor omnia:
Oblatione qui sui
Facta semel, plenario
Lytro peregit victimam
Totius orbis pro reis:
Mortisq; contra oblivia
Evangelî volumine
Indixit indelebile
Cœnæ trophæum sacræ:
Ut Christiana gens foret
Cruori effusi memor,
Christus redux dum vene-
(rit
Audi pater mitissime;
Da ritè carpamus sacra
Mysteriorum symbola,
Panem & lyæi munera
Ut ordinavit filius.
His imprimatur mentibus
Verenda Christi Passio,
Vescamur ejus corpore
Et recreemur sanguine;
Qui passionis vespere

Mors immineret cùm sibi
Per proditoris machinas
Ecclesiæ sic consulit,
Sumpsit, sacravit, tradidit
Fractum viritim dividens
Panem suis Apostolis
Hâc instituti formulâ;
Macerate sumptum dentibus
Nec deleatur mentibus:
Hoc est enim corpus meum,
Quod ritè pro vobis datur:
Mnemosynon durabile
In posterum per seculâ:
Tractatis hæc dum symbola
Memores mei vos excitet.
Cœna peractâ denuò
Manu prehendens poculum,
Benedictionem post datam,
Apostolis sic imperat;
Omnes ad unum poculum
Gustare sacrum, nam meus
Est sanguis hic, pacti novi;
Quod sit novellâ tesserâ;
Vobisq; mille & millibus
Fusi lavacro sanguinis;

Ut

Ut diluantur crimina Nunc admovetis; firmiùs
Remissionis præmio: Facti mei stet gratia
Hoc dum labellis poculum Nec deleatur tempore.

Verba sacerdotis panem sacratum
Distribuentis populo

Prote piamen quod datum fuit Christi
Corpus, Dei virtute alat salutari
Corpus tuum, mentem redintegrans, serva
Vita perenni, percipe hoc, memor Christi
Qui fixus olim stipiti, tui causâ
Vitam ut daret mortem subivit horrendam;
Credens ede,& gratum fide cor resultet.

Verba sacerdotis dum calicem tradit,

Domini cruor pro te super crucem fusus
Animam tuam corpusq; servet ad vitam
Interminatam; de scypho bibe hoc sacro
Mortis memor Christi, tibi reo occisi;
Corde, ore, factis reddat ille te gratum.

Post--communio: recitatâ prius oratione dominicâ, sac. & po. sic orat.

Cælesti domino suppliciter Deo
Oramus famuli, consulat in bonum
Oblatas Bonitas ut tua victimas
Laudum; quas animus reddere gestiit
Gratus; Suppliciter quæsimus insuper,
Concessisse velis pro meritis tui
Nati, in sanguine dum credimus illius;
Per sacra hæc domini symbola corporis
Nobis cum reliquis Orbe fidelibus
Signetur scelerum grata remissio,
Et Christi rata sit passio credulis.
Te coram Domino, non cerealia
Non carchesia,sed sydereas tibi
Mentes offerimus, vasaq; corporum

Purgata

Purgata illuvie, criminis, ut fide
Sit vitale ſacrum, menteq; præditum;
Quotquot de dapibus participavimus.
(Indignos faciant nos maculæ licet)
Omnes ſanctificet nos benedictio;
Gratâ ſume manu, munera quæ damus;
Clemens reſpiciat morigeros ſine
Factorum intuitu, quæ bene fecimus
In Chriſto accipias; quæ male fecimus,
Ejus, ne noceant, dilue ſanguine:
Detur perpetuis ſic tibi ſeculis,
Sacro-ſancta Trias, Gloria, laus, honor.

Doxologia ab antiquis dicitur hymnus Angelicus.

Deum Deorum jugiter ambiat,
Celſa ſedentem gloria regia
Pax eſto terris, eſto cunctis
Terrigenis animus benignus:
Laudamus omnes & benedicimus,
Et te colentes evehimus ſacris
Præconiis, pro laude magna
Fert animus reſonare grates:
Regnator orbis ſyderei Deus,
Cæleſtis ô Rex, omnipotens pater,
O Chriſte Princeps ô Deiq;
Unica progenies, Ieſu.
Mactatus agnus filius es Dei
Peccata mundi ſanguine qui tuo
Tollis, reis miteſce, nobis
Da veniam, & miſerere noſtri,
Deletor idem criminis, & mali
Pœnalis, audi, votaq; percipe
A dexterâ mitis paternâ
Qui ſolium æthereum capeſcis:
Nam ſanctus idem ſolus & omnium

Rex & Dynasta es, Christe simul sacro
Cum Spiritu sic à Patre summo
Participas decoris supremi.

Benedictio Sanctæ Synaxeos conclusiva.

Pax divina hominum impervia sensibus
Admiranda quies sub tacito sinu;
Vobis corda sacra plena Scientiâ
Servet perpetuo, Diaq; charitas
Æternæ sobolis; vos benedictio
Patris circumeat; non sine numine
Nati, cumq; sacri flamine Spiritus,
Hæc vos auspiciis ambiat optimis.

Comprecationes occasionales.

1*a*. Assiste comprecantibus
Fer vota nostrá ad exitum,
Gressusq; mitis dirige
Ad sempiternum gaudium;
Periculis ut undiq;
Cinctum popellum sospites
Et liberes perenniter.

2*a*. Per gratiosam dexteram
Vivax Deusq; præpotens
Nobis guberna, & dirige
Lustrata corda & corpora
Legis tuæ dictamina.
Ut exequentes sedulo
Tua jussa simus sospites
Utraq; parte sub tuæ
Protectionis tegmine.

3. Hæc luce quæ nos hausimus
Stillata nostris auribus,
Sic hæreant sub cordibus
Fructus ut edamus pares
Ad nominis decus tui.

4. Favoris adjutorio
Cunctis agendis præveni
Fluxu perenni promove,
Quæ machinamur Indiès,
Ut finis & primordium
Processus à te pendeat
In te vicissim desinat,
O peremur ut decus tuum.
Sic nos ut ipsi interminæ
Simus salutis compotes,
Migremus in Christi sinum
Ejus redempti sanguine.

5. Necessitatis conscie
Nostræ priusquam poscimus
Et cæcitatis, quàm sumus
Rerum petendarum inscii,
Fons omnis ô scientiæ
Miserere nostri; respice
Infirmitates leniter,
Nec nos repelle supplices,
Indignitates ô Deus

Et

Et cæcitates quæ premunt
Christi facessant nomine,
Ejusq; pro piamine.
6 Qui vota nati nomine
Amplecteris propensior
Juxta fidem pacti tui &
Legis novellæ tesseram :
Intende nobis quæsumus,
Hæc vota mitis percipe,
Quæcunq;non sunt ex malo
Nec velle nostro profluunt
Votis fruamur ut bonis,
Tandū nec hæc quæ servi-
Necessitati temporum (sunt
Concede, sed quæ conferūt
Ad nominis decus tui.

*Exhor.*Quandoquidem similis vitiosâ ab origine fluxit
Sac. Progenies hominum, Christoq; docente beatas
Astra super nulli fas est attingere sedes,
Ni vitam integret baptismi rore renatus ;
Exorate patrem, velit his in Nomine Iësu
Gratis annuere, & Cœlo donare misellis
Quod natura negat ; per baptismale lavacrum
Ut fiant habiles in cœtum Christicolarum
Admitti ; & Matris gremio renovata propago
Catholicæ vivant non mortua membra Deinceps.

Sac. Æterne omnipotens, servasti qui perituros
Diluvio, dum fert lignea capsa Noam :
Præstitit incolumes cujus clementia Hebræos,
Dum mare transivit credula turba Rubrum :
Et qui lustrasti Jordanem Numine flumen
Cum foret his Christus tinctus Iësus aquis ;
Sic has & reliquas, quas ritus destinat idem,
Sanctificâ, ut possent diluere omne nefas :
Miti respiciat Bonitas tua numine parvos,
Flumine conspersos, flamine tange sacro ;
Exemptos irâ, sic protegat arca salutis ;
Visibili accipiat fœdere sancta cohors.
Deinde fide firmos, spe lætos, lampade Amoris
Cœlestis vegetos interiore fove ;
Per mundi pelagum concede, ut quilibet horum
Sursum directo tramite tendat iter :

Ut tandem appellant patriam, comitesq; capessant
Ætherei tecum regna beata poli:
2 Subsidium miseris præsens, quando urget egestas,
O deus omnipotens interituq; carens,
Ultor & adjutor cunctis, tutela tuorum
Cum petiêre tui subvenientis opem;
Vitalis calor es credentibus: æthere cassis
Faucibus à mortis vis rediviva tuis,
Pro grege te petimus puerili, mergier undis
Dum cupit, & sordes fonte lavare sacro;
Accipe adoptinos charis amplexibus, olim
Sic pactum in Christo conciliante docet:
Nam dicit, petite, & dabitur, sic invenietis
Quærentes, vobis, janua pulsa patet:
Sic da supplicibus quod quærimus, Atria cæli
Hos capiant precibus fortiùs icta piis;
Nunc ineant cætus Christi, mox cõmoda cæli
Percipient Loti, pollicitasq; domos:
Evan. Cum pusiones attulerat pedes
Plebs ante Christi sistit, ut hos super
Ponat manus, sed perferentes
Corripuit duodena Turba;
Horum repulsam corripit acrius
Factumq; Iesus criminis arguit,
Permittite hos ad me venire
Nec rigidis prohibere dictis;
Cœleste regnum talibus incolis
Debetur; istis mox reserabitur;
Quicunq; non est par minorum
Corde humili, procul exulabit,
Hæres superni climatis haud erit:
Christus tenellis imposuit manus,
Et parvulos complexus ulnis
His Dominus benedixit almus;

Expos.

Expos.Sac. Sisti in propinquo vult pueros sibi
A se fugantes increpat acriùs,
Cunctis ut exemplar fidele
In medio puerile ponat;
Gestu benigno se probat insuper
In pusiones, dum placidus suis
Amplexus ulnis hos tenere
Et pueros voluit vocales beare:
Istos tenellos credite gens pia
Iisdem favoris indiciis boni
Dignabitur mitis magister,
Perpetuo decorare honore
Cœli supremi; sic animus patris
Natiq; in ipsos nunc genitos recèns
Favor patescit; de misellis
Omne produl dubium facessat
In posterum, quin non malè cesserit,
Tingi sacratis dum cupiunt aquis,
Quos sistimus nunc ad lavacrum
Ut capiunt latices salubres;
Sac. orat. Ergo fideli pectore & integro
Grates agentes ad Dominum Deum,
Dicamus æterne ô Deusq;
Omnipotens pater almè Cœli,
Gratamur omnes suppliciter tibi,
Quod nos vocatos lumine Gratiæ
Tui scientes, credulosq;
Per fidei radios coruscas:
Auge favores, constabili fidem,
sub corde parvis influe Spiritum
Ut denuò hæredes renati
Perpepetuas habeant coronas:
Per Christum Iesum pneumate cum sacro,
Qui regna tecum jugitèr obtinet

Convictor à nascente mundo
Olim hodieq; vigens per ævum,

Sac. ad suscept. Adsunt amici vestrâ ope parvuli
Fiant lavacri participes sacri,
Christumq; votis invocastis
Impositis manibus beare,
His ut receptis vincula criminum
Laxare vellet, regnaq; cœlica
Donare lotis, & renatis
Æthereum sine fine vitam;
Christum daturum quæ memoravimus
Percrebuit, nec futilis est fides
Evange'li subnixa verbis;
Ipse fidem dedit & requirit:
Post pacta Christi restipulatio
Debetur à parte exigui gregis,
Quam vos vice illorum pacisci
De tribus officiis oportet;
1 Longè ut recedant à cacodæmone,
Ejusq; vitent tartareas strophas;
Oracla credentes Jehovæ
Jussaq; morigerè colentes.

Sac. interrog. ad susc. Nunquid vis animo, & re valedicere
Ipsi & conciliis Tartarei Ducis?
Et mundi fragilis conditionibus
Falsæ conspicuis fulgure gloriæ?
Num vis illecebris corporis eximi
Nequando annueris obsequium malis?

R. Istis ego omnibus renuncio, *Sac.* credenda nunquid
Ampleteris verâ fide? Patrem Deum potentiæ, (symboli
Cœli creatorem & soli. In Christum Iesum filium
An credis? et quod flamine conceptus est sanctissimo,
De matre natus Virgine? Quod passus est sub pontio,
Lignoq; fixus, mortuus, Quod nigra adivit Tartara,

Artus

Artus ſepulchro conditus? Die revixit tertiâ?
Aſcendit arcem cælicam,conſedit ad dextram Dei
Summæ patris potentiæ? Quod fine mundi in nubibus
Flagrante rerum machinâ, ad judicandum mortuos
Vivoſq; venturus Redux?
Nunquid prehendis credulus vera paracletum fide?
Eccleſiam Catholicam? fidelium commercium?
Remiſſionem criminum? Et quod reſurgent corpora?
Vitæne credis præmia æterna poſt hæc ſecula?
Reſ.a ſuſc. His ego prædictis aſſenſum prebeo ſummum
Sac. Grandænus jaceat lactentibus Ada ſepultus;
 Exſurgat novus his & redivivus Adam. *R*,Amen.
Sac. Extinctus deflagret Amor carnalis in iſtis,
 Omne ſimul vigeat ſpirituale bonum. *Reſ.* Amen.
Sac. Satanam, mundum, carnem ſub pectore vires,
 Da pumilis,hoſtes poſſe domare truces, *R*. Amen.
Sac. Virtute officii quoſcunq; dicamus,ab alto
 Quoſq; nova virtus cælica dote beet;
Æthereaſq; domos ſcandant, & dona reportent
 Manſura; A Domino te miſerente gregis;
A duce, qui felix ductor ſine fine gubernas
 Magnos, exiles; ſumma,minata regis. *R*.Amen.
*Sac.orat.*Vivax omnipotens cujus dilecta propago
 E' latere admixtas ſanguine fudit aquas;
Mirificum ſpecimen! redimi quòd crimina fuſo
 Sanguine, & aſperſæ gurgite vellet aquæ!
Ergo ſuos juſſit Gentes orac'la docere
 Et poſt ſuſceptam fonte lavare fidem:
Et patris & Nati, ſancti quoq; nomiue flatus,
 Supplicis exaudi vota preceſq; Gregis,
Ut dum baptiſmo madefiunt corpora, mentes
 Gratia ſic teneras uberiore riget;
Partus adoptiuus mox ut purgata propago
 Sit tuus, electis annumeranda tuis:

Sac. inter. nomen. Inter Christicolas edite clariùs
Infans iste dein nomine quo cluat?
Infantem parochus tum manibus tenens
Adjecto proprio nomine, sic ait
Te baptizo patris nomine filii,
Et sancti paracleti. (*aspergendo.*

Lympham de fonte, applicat infanti, vel mergendo, vel Recipitur infans in cœtum Christianum cum signaturâ Crucis in fronte.

Sac. Istum tenellum post latices sacros
Sanctis catervis annumeramus, huic
Signum crucis, professionis
Addimus ut specimen verendum:
Ut Christianæ Crux patientiæ
Post hac, pusillo tessera sit, fidem
Ne deserat pudore victus
Arbore quod Dominus perpendit,
Adversus orbem vimq; Satanicam
Carnem dolosam, sub cruce militet,
Et serviat Christo Magistro,
Ultima dum veniant ferenda.

Sac. Quandoquidem dilecta cohors gens ista renata est,
Et stirps in Christi corpore fixa manet,
Corpore, quod nectit per mystica vincula Christus,
De tanto grates munere quisq; ferat;
Ut peragant reliquam juxta hæc primordia vitam
Vota Deo Trino fundimus unanimes. *Adde orat. D.*

S. Ex corde grates pendere
Mens gestit ô mitissime,
Quòd recreasti parvulum
Generante sacro-spiritu.
Adoptionis gratiæ
Amplexus hunc ut filium;
Das nutriendum cætibus

Aduniens fidelibus; (mus,
Pro quo deinceps quæsu-
Ut pravitati mortuus
Ad sanctitatis munia
Sit corde promptus vivido
Ut consepultus mortuo
Christo crucis supertrabem

Affigat,

Affligat inturnum ſenem
Squallore peccati obſitum
Totumque corpus deleat
Sibi imputati criminis,
Ut particeps Chriſti necis,
Sic & reſurgentis fiet;
Ipſius ut tandem gregis
Pars parva cum credentibus
In manſiones evolet
Cœleſtis altas Patriæ.

Sac. Exhortatio ultima ad ſuſceptores.

Cum vagientes pacta ſolennia
Trauſegerint hæc per vadimonia;
Nigro relicto olim tyranno &
Fraudibus illius abdicatis,
Se ſervientes annuerint Deo
Fiduciali fœdere complices;
Quod jure ab illis exigendum eſt
Officii memores monete,
Monete parvos, cum fuerit capax
His indoles, quàm ſeria voverint
Quæ cura ſpectet ad vadatos,
Quæque vades teneat ligatos;
Ut conciones ſæpiùs imbibant,
Monete ut ædem ſæpe adeant Dei,
Ut cordibus ſacra imprimantur
Præcipuas agitate curas;
Credenda diſcant quæ fidei duces
Olim ediderunt; ut domini Dei
Formam ſacroſanctam precandi
Percipiant animis tenellis;
Sermone noto ſancta Decalogi
Edicta diſcant; cætera denique
Quæ Chriſtianum ſcire fas eſt
Ad fidei melioris augmen,
Et ſpem ſalutis: ſic ab origine
Ætatis omnes conficiant viam,
Vitamque dignam Chriſtianis
Eximiæ pietate degant,

Gnari

Gnari, ſcientes, & memores ſacri
*B*aptiſmatis quod Chriſticolis ſuæ
Inſigne ſit profeſſionis,
Incipiant domino ambulare:
Normâ magiſtri vivere (qua licet)
Debemus omnes: is voluit mori,
A morte pro nobis redire,
Mortuus & redivivus idem;
Debet nefandis ſic vitiis mori
Et ſanctitati quiſq; reſurgere,
Ut pravitas affectionum
Intereat, vigeatq; virtus.

De lavacro privato; ſcrutinium a ſacerd. ſic peragendum, per quædam Erotemata.

*Sac.*1. Nunquis lactentem divino rore ſacravit?
Quo præſente,quibus tranſactum eſt Sacramentum?
*Sac.*2. Et quia ſæpe metus, vel feſtinatio peccat
Extremâ ſacris rebus dum fungimur horâ
De re præſenti tria deinde inquirimus ultrà;
1 Quo laticis genere? 2 & quæ ſunt ſuperaddita verba?
3 Infans an fuerit juſto baptiſmate lotus,
Edite fando; omnem dirimat confeſſio litem.

Declaratio Sacerdotis ad populum de legitimo baptiſmate.

Caſu ſuppoſito neceſſitatis,
De baptiſmate parvuli verendo,
Peracta omnia rite & ordinatè
Teſtor myſta Dei: licet tenellus
Primas viderit inquinatus auras,
Saltem noxius imputatione
Facti ſontis Adæ; tamen renatus
Nunc baptiſmatis exiit lavacro
Purus ſorde, Deiq; filiorum
Aſcriptus numero, receptus hæres,
Venturæq; capax perennitatis:

Nec Chriſtus Dominus negat ſavores
Parvis puellis utriuſq; ſexus,
Invitamine ſed vocat ſalubri
Sic Evangelio docente ſacro.

Catechiſmus parvulorum ante confirmationem.

Q. Inter Chriſticolas nomine quo cluis? *Reſ.* N. vel M.
Q. Auctores poſiti qui tibi nominis?
R. Patrini & generis fœminei pares,
Teſtes, officium præſtiterunt mihi;
Natus quando recens immadui ſacro
Baptiſmalis aquæ gurgite, quo ſtatim
Ablutus ſoboles factus eram Dei,
Et membrum vigui corpore myſtico,
Hæres æthereis deinde capax ſtatus.
Q. Suſceptoribus a tuis, Quid vel quæ tibi præſtita?
Sunt ex officio tria noſtrâ polliciti vice
R. Exoſus genium malum & quæcunq, ſatanica
Sunt molimina, reſpuo; ut mundi decus irritum,
Mundus quæq; habet ad mala invitamina criminum,
Ut contra hæc operam darem,
Hæc promiſſa meâ vice, ſunt cùm prima fides rata.
2 Deinde his aſtipulantibus Adjnratus ego omnia
Sectæ ſymbola Chriſtidos firmâ perciperem fide,
Membratim articulos bibens Bis ſenis ab Apoſtolis,
3 Vitæ per ſtadium meæ ſemper velle tenens Dei
Horam lucis ad ultimam edicta ut colerem pia.
Q. Num verbis ſtipulantium Te ſtrictum officio putas
Ad credenda & agenda quæ promiſcere tuâ vice?,
R. Prorſus ſic reor & volens nitar; ſi deus annuat:
Grates inſuper, offero cœleſti pumilus patri
Quod me cælicol'um gregi addixit placide vocans
Per Chriſtum Dominũ, ſtatus qui ſemper maneat mihi
Vitæ lumine dum fruar Cæleſte auxilium peto.

Q. Per-

Q. Perceptæ fidei pusiole, expeto
Omnes ut recites articulos memor
Post credenda recitata, ut alibi traduntur, sic
Q. Ex his articulis quos recitas probè,
Quæ sunt officii munera te rogo?
R. 1. In patrem didici mente recumbere
Qui mundi est opifex conditor & meus:
2. In natum didici credere, qui genus
Humanum asseruit sanguine proprio:
3. In sanctum didici nitier halitum,
Quod me, & Christiad'um sanctificat choros,
Hæc doctus te neo scita ab Apostolis.
Q. Sponsorum officium, si tibi credimus,
Inter pacta tuâ quæ vice seriò
Promisere, fuit præcipuum, Dei
Quod sanctè coleres jussa Decalogi.
Quæ sunt ista refer modo? post Decalog. recitatum Sic.
Q. Pressim reddæ mihi scita quot aurea
Hausisti tabulis prompta *Möyseos?*
R. Legis me docuit forma decemplicis
Duplex officium: primitùs in Deum;
Erga deinde homines; Intuitus duplex
Objecti duplicis, jusque duplex parit
Stricturam duplicem, me tenet utraque.
Q. Cultus officium quod Dominum Deum
Concernit, recita fasciculo brevi:
R. Credere, formidare, Deum reverenter amare,
Hæc sunt officii munera prima mei,
Non parce aut fictè, sed toto pectore me lex
Corde, animo, studio jussit amare Deum,
Jussit adorare, & grates persolvere dignas
Ore, opere æthereo mente litare patri:
Sperare in solum Dominum columenque locare,
Cui teneor mediis fundere vota malis;

Nomen

Nomen honeſtare, & de lapſa oracula cœlo
  Non minima officii eſt pars celebrare mei.
Denique morigerè divina faceſſere juſſa,
  Dum mea vitalis ſpiritus oſſa regit.

Auctoris digreſſio de Amoris erga Deum menſurâ.

Magnus Amor, divinus amor, cœleſtis origo,
  Hanc Deus æthercam datque regitque facem,
Non metam ratio ponit, neque repperit ortum,
  Ortum dat ſolus, terminat atque Deus,
Se primo objecto, naturæ deinde creatæ
  Limite mirificè terminat abſque modo;
Hac de re nullos Divina, humanaque fines
  Natura officii dat, niſi poſſe tuum,
Huic quoque velle tuum fas eſt adjungere, totum
  Poſſe tuum, totum velle requirit Amor;
Ergo totus Ama, minuit qui ſacra, profanat
  Nil dans; Nullus amas tu niſi totus amas.

Q. Quâ ratione aliis, quantumque aſtringeris, ede?
R. Ut mihi ſum charus, tabulæ ſic jure ſecundæ
  Eſt mihi vicinus charus amore pari:
Id præſtare aliis teneor, quod & ipſe requiro,
  Ponitur & lex hæc pectore ſcripta meo eſt:
Quin & honorificè tractare & amare parentes,
  Et dare ſubſidium, ſi mala dura premant;
Præpoſitis quoque legitimis me ſubdere fas eſt,
  Præſulibus, parochis, ordinibuſque ſacris,
Egregios coluiſſe viros teneorque verendè,
  Seu major, ſeu ſim conditione minor:
Facta mea ut fuerint & verba innoxia, nullum
  Lædere, nec verbis re nec obeſſe decet:
Hæc me jure ligant, quæcunque negotia tracto,
  Ut me aliis juſtum, veridicumque probem.
A furtis cohibenda manus, frænandaque lingua,
  Peſtifera effrænis ne maledicta vomat,

Ne socios mendax lædat detractio, fratrem
  Nec feriat tacito vulnere livor edax,
Temperies carnem subigat, mens & rationis
  Imperio frænet corporis ingluviem;
Ut vescar sudore meo; quoq; vivere rebus
  Possem de propriis, non aliena petens:
Sic ego commisso perfungar munere vitæ,
  Quem me cunq; statum jussit inire Deus.
Q. Inservire Deo, dictamina legis obire,
    Bellule disce puer non opis esse tuæ,
  Si non subveniat cœlestis gratia; pro qua
    Te precibus fas est sollicitare Deum:
  Et formam dedicisse precis, quam Christus Iesus
    Discipulos docuit: Num recitare potes?
Post orationem Dom. à puero recitatam sic.
Q. His verbis à patre Deo quæ vota requiris?
R. Hæc in vota voco patrem Dominumq; Deumq;
    Qui dator ætherei corporeiq; boni est:
  Ut teneram subeat cœlestis gratia mentem,
    Pro me, pro natis hanc peto Gentis Adæ;
  Hunc ut adoremus, divinaq; jussa sequamur,
    Exigit ut pietas: sic alimenta peto
  Quæq; cibent animas per gustus spirituales,
    Aptaq; quæ nostrum pabula corpus alant;
  Oramus partem bonus ut sustentet utramq;
    Æthercam locuples pulvereamq; Deus,
  Sontibus ut nobis bonitas divina remittat,
    Peccati perimat ne gravis ira reos;
  Præveniat culpis, medio discriminis addat
    Ut Deus assertor, sic Deus ultor opem:
  Sive interna animos, corpusve externa lacessant,
    Seu culpa invadat me, geniusve malus,
  Hæc mihi præstet amor Christi divinus Iësu,
    Hæc mihi spe certâ vocula signet, *Amen.*

De

De Sacrament. quæ serius Catechismo accesserunt parvo.

Q. Quot ordinantur cœtibus Ecclesiæ mysteria
Præ cæteris clarissima Signata sacro nomine?
R. Christus Magister optimus Ritus gemellos intulit
Baptisma cum sacrâ Cœna, Typis remotis pristinis:
Generalis ut necessitas Salutis in Negotio
Exegit à fidelibus Non absolute vinciens.
Q. Quid Sacramentum? quæ mens de nomine de re?
R. Vocabulum est exoticum externus arcani typus
Emblema sacrum gratiæ, dotisq; quæ visum fugit:
Medium salutis efficax, (præcepta si quicquam valent)
Perceptio per januas fit sensuum sed non sine
Fidei manu, mysteria sic Chrissus auctor ordinat.
Q. Quomodo partiris? R. Binas distermino partes.
Terrena pars est extima, Divina pars est intima
Illa applicatur sensibus, hæc mentibus dilabitur,
Elementa rerum symbola externa sunt signacula;
Almæ sigillum gratiæ defigit intus pectora,
Signanda res Ecclesia est hìc militans fidelium; (tiæ.
Hæc exprimunt, hæc imprimunt cœleste donum gra-
Q. Dum fungimur baptismate? Quod Symbolum, quæ
Comitatur hoc mysterium? formula?
R. Fontana lympha infantibus externa prostat tessera,
Stillata, patris nomine Natiq; & almi Spiritus.
Q. Quæ gliscit intus gratiæ Baptismatis sub ritibus?
R. Est prima messis gratiæ, natos renasci denuo
Et posse peccato mori & posse demum non mori.
Adamidæ nam nascimur sontes & iræ filii;
Sed chara simus pignora Fontis salubris gurgite.
Q. Quis apparatus prævius digne ad lavacrum fluminis
Præsentat inculpabiles pueros, adultos vel viros?
R. Sincera pœnitentia, Fidesq; sanans pectora
Habiles lavandos exhibet; ut ejus efficacia
Abominentur crimina: promissa tum quæ postulant
Pacto

PactoDeus reciproco hujus prehendant viribus.
Q. Cur proluuntur parvuli, puerilis ætas impotens
Præstare eosdem cum vetet promissa baptismalia?
R. Promissa præstant per suos Testes patrinos quos vocāt,
Pactis eorum nomine Assentientes omnibus.
Infantuli quæ postea jam facti adulti transigunt
Jure obligati proprio, suaque fungentes vice.

De cœna Domini.

Q. Hermes ab alto maximus cur Christianos per greges
Cœnæ Sacræ mysterium Jure ordinavit publico?
R. Hoc ut trophæum Sustulit de passionis victimâ,
Ut mortis ejus commoda in posterum clarescerent.
Q. Externa quænam mystici pars hujus est convivii?
R. Panis Lyæus & latex: cœlestis instructor Dapis
Utrumque jussit percipi.
Q. Interna quæ pars illius, R. Est res sub ipsis symbolis
Signata, corpus scilicet Christique distillans cruor:
Hæc uniuntur credulis convivii consortibus
Vere recepta ab organis tùm carneis tùm per fidem.
Q. Quid ab advenis requiritur convivio acclinantibus?
R. Ut se malorum conscii examinent & vulnerent
Præcordium mæroribus ne ficta sit compunctio:
Sed quisque proponat sibi vitæ tenorem mox novæ:
Velitque sanctè pergere pravis relictis moribus
Nixus Dei Clementiâ per Christum Iesum principem.
Pacemq; communem colens cū gente tota Adamidū.
Jus charitatis promovens: Qui præstat hæc rectè facit
Et ritè sacris fungitur.
Sac. Subsidium Domini stat nomine nostrum:
Res. Qui terram & cœlestes condidit orbes
Sac. Esto Dei nomen domini benedictum
Res. Semper abhinc steterit dum machina mundi.
Sac. Infantum votis intende precantum
Res. Iste tuas clamor descendat in aures.

Sac. O præpotens vivax Deus ſine termino
Quandoquidem placuit tibi iſtos parvulos
Sacro renaſci Spiritus à numine
Non abſq; ter ſancti lavacri aſpergine,
Hos deſtitutos ſpiritali robore
His indies adaugeas chariſmata,
His parvulis largire tu prudentiam
Et mente luminâ capaci poſteà,
Dignare cœlitus conſilî ſpiritu,
Pietatis hos deinde dita munere
Tui timorem da tenellis cordibus.

Epiſc. ſingulis admota manu, ſic ait ;

Annis vigentem mollibus, ô Deus,
Tuâ ſupernè protege gratiâ
Hic filiorum ſempiterno
Stet tua progenies in albo :
Par creſcat almo ſpiritui tuo
Corroboratus pullulet indies
Per Spiritus donec quieſcat
Sedibus æthereis receptus.

Epiſc. orat.

Summo qui robore polles
Vivax ſine limite vitæ
Nobis qui velle faceſſis
Et vires das faciendi ;
Quicquid par imperiali
Majeſtatiq; verende
Opus eſt gratumq; bonũq;
Te ſupplice voce rogamus,
Tenerâ pro parte popelli
Manuum quas impoſitarũ
Ritu dignamur avito,
Chriſti procerum duodena
Primorum exempla ſecuti
Hæc ut ſit χειροθεσία
Divini teſſera amoris ;
Super hos porrecta precamur
Tua dextera dirigit omnes
Patriâ virtute guberner,
Vires animoſq; miniſtrans,
Oraclis diſcutiendis
Et juſſis perficiendis
Referant ut præmia vitæ,
In Chriſto auctore, perennis
Patris eſto filiiq;
Simul halitus verendi ;

Benedictio super vos Sed maxime tenellos
Maneatq; sempiternum Tueatur & gubernet.

Matrimonium. Forma ejusdem solennis

Ante Dei cætusq; hujus, convenimus ora,
Ut nexus ineant hic atq; hæc connubiales:
Nam status hic sacer, & lectus genialis honestus
Instituente Deo; Deus illum (quando parentes
Innocui steterunt in eöis ambo viretis)
Usibus addi it sacris; ut Christus & ejus
Unio cum Sponsa tali eluceſceret umbrâ:
Ritibus hinc Christus cum vellet addesse, inibiq;
Ederet in Cana per opus mirabile primum
Numinis indicium, magnum decus addidit illis.
Quin & honorificum deprædicat esse cubile
Paulus, si paribus permanserit immaculatum:
Non temeri idcirco vibranda est tæda jugalis,
Non fœdus leviter, non molliter est ineundum
Ad venerem explendam, stimulante libidinis œstro
Sicut Bruta solent rationis lumine cassa.
Cordatè potiùs, consultóq; & moderatè,
Divino præeunte metu, pensisq; jubendi
Edicti causis: Prima est ad prolificandum,
Ut soboles nutrita Dei præcepta capessat,
Ad decus ipsius, Finalis meta secunda,
Ut medicina adsit vitiis, & Ahenea turris
Illicitam contra venerem, quos casta pudicos
Mens servare nequit, possint munimine tali
Se Christi melius membra intemerata tueri.
Tertia causa subest, ut possint munia vitæ
Fortunâ sub utraq; süavius exercere.
Vir vitæ genus hoc, hæc & suspirat; uterq;
Ad pactum prostat: Siquis causare quid ausit
Prodeat actor, abhinc vel præcludatur in ævum.

2. *Per.*

2. *Percontatur Sacerdos de impedimentis conjugii.*
Adjurans rogo vos sistendos ante Tribunal
Judicis extremi, tandem cum venerit hora,
Quæ fibras Animi arcanas ediſceret omnes,
Siquid ſubſuerit, tectum indictumq; quod inſtans
Conjugium evacuet, claris nudare velitis
Indiciis coram cætu, nam diſcite certò,
Lege Dei adverſâ, quicunq; Hymenëia tractant
Non auctore Deo coaleſcit copula talis,
Irrita ſed forma prorſus & miſtura nefanda eſt;
Erotemata Sacerdotis de mutuo partium conſenſu.
Sa. Hanc votis petis integris? propriamq; dicare
Eſt animus? vis intra connubialia ſepta.
Vivere cum ſponſâ, divina Oracula juxta?
Vis adamare, fovere, & honeſtè ſuſcipere? hanc vis
Non minus infirmam, quam ſuſtentare valentem?
Excluſiis aliis vis hanc amplectiter unam,
Dum vitæ fragilis durabunt ſtamina utriſq;? R. vir volo.
Auctor Verſis vertendis ſimuli quæſita tenore
Ex rubricâ. Nubentum aſtringunt; dictis hoc adjice tan-
Anne viri licitis juſſis & ſemper honeſtis (tum,
Per vitæ ſtadium fuerit parere parata. R. fœmina, volo
Auctor. Vir volo ſpondebat, dicit volo fœmina, utrumq;
In longum aſtringit vocula parva, volo.
Sac. Hanc huic quis dederit ſociandum jure jugali?
Tum vir dicet à Sacerd. edoctus verbis de præſenti; apprehendens fœminæ dexteram manum
Caius ego caiam poſthac, hodieq; peracto
Jure maritali te mihi ſumo parem;
Sis mala, ſis potior, locuples mihi ſis vel egena,
Quando adverſa tibi eſt, proſpera quando Salus,
Semper amanda, fovenda, tenenda atq; uxor habenda es,
Ut nos erudiit norma verenda Dei;
Donec conjugii vin'clum cum lumine vitæ,

Alterutri rupto solverit atra dies.

Tum primùm solutis, deinde junctis manibus dicet fœmina : mutatis mutandus ferè formam cum præcedente, adjecto odedientiæ vocabulo.

Tum vir applicat, annulum fæminæ digito, sic e doctus a sa.

Jungo maritam te mihi tesserâ
Hâc annulari, corpòre te colo
Censuq; totali bonorum
Dito ; Trias mihi testis esto.

Sac. orat. Æterne avorum conditor efficax.
Et sospitator Gentis Adæ Deus,
Fons liberalis gratiarum,
Auctor item sine fine vitæ :
Utrisq; servis deplue de bonis
Largè supernis, huncce virum bea
Et fœmimam hanc, quos & ministri
Nomine utrosq; tuo beamus :
Ut vixit Isa'a compare cum suâ
Fideliter sic tempora compleant,
Ambo, fide firma tenentes
Conjugii intemerata vota,
Et pacta, quorum circulus aureus
Datus, receptus pignus & arrha fit
Amore perfecto fruantur,
Lege tuâ sine lite degant.

Promulgatio conjugii consummati:

Sac. Quos Deus astrinxit nemo duvellere tentet
Sac. Caius, caia simul perfuncti jure jugali,
Sacra attestati per numen pacta Tri-unum
In medio plebis, circum-assistente coronâ,
Auratiq; fidem firmârunt pignore cycli
Porrecti, accepti, manibus laxisq; datisq;
Hos pleno junctos pronuncio jure Sacerdos
Jure maritali vir ut hic sic hæc cluit uxor,

Nomine

Nomine ter-gemini ſic teſtor numinis, *Amen.*

Sacerdotalis benedictio prima.

Vos opifex rerum pater, & vos à patre Natus
Halitus atq; Sacer, Deus unuſquiſq; ſed unus
Et beet, & ſervet, vultuſq; favore ſereni
Reſpiciat, donis cœleſtibus augeat ambos;
Sancto ut curratis ſtadia hic incepta tenore,
Ut cum vixeritis, ne vos mors ultima lædat,
Exeat in vitam de corpore uterq; perennem.

Hymnus recitandus, Pſal. 128. dum ad ſacrum menſam proceditur.

Fœlix quiſq; animi, quem Domini timor
Viventem domini dirigit in viis,
Qui ſudoribus empta
Lœtus fercula percipit.
Fœlix ille; & erit ſic tibi ſuaviter;
Uxor prolifica, ut coctilibus ferax
Muris addita vitis
Latè brachia porriget;
Stabit circuitu condecorans tuam
Menſam progenies; grata oculis, placet
Sicut conſita tellus
Multâ palladis arbore:
Sic intùs domini cui timor excubat
Feliciſſimus ille inter Adamidas:
Hac te conditione
Montis culmine de ſacri
Felicem faciet ſic dominus deus,
Florente ut videas auſpiciis bonis
Sacram *Davidis* urbem
Donec vivere te ſinunt
Parcæ; progenies floreat ut tua
Longam per ſeriem, & floreat *Iſrael.*
Eſto gloria patri,
Nato, ſpiritui ſacro,

Hymnus secundus est Psal. 67. qui quærendus est alibi, nempe retrò. Ejaculationes post hymnos sequuntur.

*Sac.*Nostri Dom. ô miserere. *R.*Nostri Christi ô miserere.
Sac. Post orationem Dom. servam, ancillamq; tuere
*R.*Quoniam spes nititur in te. *Sac.* Adytis emitte salutem;
R. Columenq; hos protegat; *Sac.* Esto
Spes instar turris ahænæ *R.* Hostis contra ora fruentis
S. Hæc percipe vota, *R.* tuasq; clamor descendat in aures.

Secunda benedictio sacerdotalis.

Adrami, Isaciq; timor, numenq; Iacobus
Quod coluit, paribus mites adesto Deus;
O divine sator, divinum his insere verbi
Semen ut hoc possint corde tenere pio;
Ex hoc quæ discent, hæc curent edere factis;
Æthereis adytis respice utrumq; bonus.
Thariaden donis placuit ditare supernis,
Saramq; : hos placeat dote beare pari;
Ambo frui ut possint divino numine tuti
Semper amore suo, semper amore tuo.

Sac. Apprecatur conjugatis de felicitate procreationis.
Cælestis genitor, Domine ô mitissime, cujus
Crescit in immensum munere semen Adæ,
Auxiliare istis multo charismate ab alto,
Prolifica, & ventris fertilitate bea,
Sancto, constanterq; ut amore fruantur honesto,
Numinis æterni non sine laude tui;

Apprecatur illis, de amore conjugali.

Sac. Summe oppifex rerum, cujus virtute creata
Omnia de nihilo fluxerunt ordine pulchro;
Cætera cùm starent volusti ut fæmina haberet
Nobile principium costâ efformata virili.
Ipse vir ut de te divinum traxerat ortum:
Ante torum placuit tibi nectere jure solennis
Binos connubii nos ut didicisse queamus

Quàm

Quàm sit relligiosa nec arte solubilis ullâ
Copula conjugii; cùm non sit futile signum
Tessera sed Christi & Sponsæ nexus,& amoris
Æterni divina manet, te constituente.
Mitis utriq; adsis flagret vir semper amore
Uxoris propriæ,divina oracula juxta,
Christus ut ardebat,redimens quoq; sanguine,sponsam;
Utq; suam fovit carnem ; sit amica marito
Fæmina; Iacobo Rachel ut amata, & amica
Utq; Rebecca sagax, ut sit fidissima Sara,
Morigera,& mitis, tranquilla & sobria, castis
Matronis adjuncta comes. Tu gratia utrumq;
Ambiat,ut sedes intrent sine fine beatas.

Visitatio ægrotantium : 1. de sacerd. in troitu.

Beatitas & pax bona contingat istis ædibus,
Et incolis & adveuis,reliquisq; qui consistimus.
*Sac.orat.*Immergè nostra crimina patrunq; delicta altiùs
Oblivionis gurgite,O parce nobis sontibus;
Gregiq; parce proprio tuo redempto sangine;
Prævaricantes nec tua perennis ira puniat

Ejaculationes post orat. Domini & Kyrie.

*Sac.*Periclitantem sospita, *R.*spes cujus in te nititur.
S. Emissa de sacrario à te salus huc prodeat;
*R.*Potenter ipsum protegat. S nec vincat Adversarius.
*R.*Malignus absit noxius. S. huic esto turris ænea
*R.*In Os maligni spiritus, S. Intende votis,quæsumus,
R. *Te clamur accedat propetis*

*Sac.orat.*Vultus deorsum dirige,ab arce cæli respice,
Servum laborantem tuâ manu salutari juva.
Hunc intuêre lumine clementiæ, solatium
Infunde, certam da fidem in te tuoq; nomine,
Ab hostis atri incursibus defende, sernet pax tua
Tectum salutis casside,per Christum Iesum vindicem.
2.*Sac.orat.*Assertor ô mitissime summæ Deus potentiæ

De more præsta te bonum languore confecto gravi.
Invise Servum morbidum, ut languidam Petri socrum,
Centurionis asseclam certo salutis munere;
Sic cum salutari tuo accede mitis, hunc rape
A mortis ægrum faucibus, reddens salutem pristinam.
Si sic voluntas fert tua; sin displicet, da quæ sumus,
Ut visitante dexterâ correctus æger sit tuus;
Meliorque factus, post mala finita mortis termino,
Tecum superstes compleat vitæ perennis jubila:

Sac. exhor. ad Po. Scitote dilectissimi quòd imperator maximus
Vitæ, necisque sit Deus, sicut sub ipso cætera;
Primordium vel exitum quæcunq; spectant ultimũ,
Iuventa, robur, sanitas, ætas, valetudo, febres:
Cuicunque fini sunt mala per ista supremo à Deo;
Seu mens ut æquat turbine victrix ferendo fulgeat,
Fideique vestræ sit Deus coram Jehova, gloriæ
Vobis ad augmen, arrhaque sit sempiterni gaudij:
Seu crux medela corrigens, ut deleantur crimina,
Quæ labe turpitudinis læsere Patris lumina,
Scitote, quòd vertet bene summi Patris correctio;
Delicta pænitentiæ si diluamus flumine:
Si flagra dextræ fortiter portemus absque murmure
Nixi Patris Clementiâ in Christo Jesu Filio;
Gratis agentes pro bono præsentis ægritudinis
Morem gerentes qualiber, in re paterno nutiii.

Sac. ad ægrotum. Correctionem consule boni, Deus te bonus
Castigat, ista afflictio divini Amoris tessera
Docet Magister gentium castigat hunc quem diligit;
Doctos pati pœnalia ut filios amplectitur:
Nunquid meretur filii nomen? parentis debitam
Qui disciplinam respuit, non filius, sed spurius;
Ergo verendæ virgulis si patriis submittimus
Alacriùs cur non Dei obtemperemus ictibus?
Carnale jus his contigit, determinatum tempore,

Nunc

Nunc lene, nunc immituis, ut nutui illorum placet:
Sed punit æternus Pater Nostæ saluris commodo,
Ut sanctitatis propriæ fiat fidelis particeps:
Hæc scripta sacris literis Divina sunt oracula;
Ut corrigant & dirigant Ægros & afflictos cruce.
Divina dum Clementia duris procellis opprimit,
Ut gratulantes de malis strictura gratis opprimat:
Cor Christiani gestiat,cum rebus adversis scatet.
Quòd Christi anhelans sub jugo,Christo videtur par suo:
Ad astra ducit hæc via vel nulla, cum Christo pari:
Pro quo cruorem effundere vitæ perennis janua est.
Mortis, soluti vinculis mortem per ejus vividam
Ut excitemur, cumque eo vivamus in solatio.
Idcirco, frater, suadeo, ut mente sedatâ feras
Morbi dolores, ad tuæ certum salutis commodum.
Ut Christianæ sis memor Professionis, quam ratam
Tibi destinasti primitùs Baptismatis signaculo.
Quod deinde sunt mortalium coram severo judice
Gesta exigenda ad calculos, vitæ peracto termino.
Te cor, statumque & res tuas examinando discute
Agnosce mentem consciam, sontemq; pœnæ adjudica.
Te Patris indulgentia Domini & refulgens gloria
Horâ tremendâ sospitet, & mortis absolvat reum.

Post scrutinium fidei sacerdos absolvit ad hunc modum.

Qui filiis Ecclesiæ, ceris reliquit ultimis
Jus eruendi credulos, Pœnâ & reatu criminum,
Si vera pœnitentiâ, sub corde mæstos vulneret;
Tibi confitenti serio, Christus remittat crimina;
Auctoritate clavium,quam Christus indulsit mihi.
Ego te relaxo ab omnibus, culpis tuis in nomine.

Patrisque nati, Spiritus.

Sac. Deus benignè qui soles, juxta tuam Clementiam,
orat. Longè amovere & tollere delicta pœnitentium:
Hunc intuere mitiùs, remissionem dum petit,

Nec

Nec vise torvo lumine, oculo sed indulgentiæ:
In rem priorem subleva Lapsum, ruinas sarciens,
Tibi si maligna mens nocet, vel carnis imbecillitas.
Corpus sana morbidum, & cor refræna turbidum:
Nec cætibus fidelium hanc obstrahat mortis timor.
Intentus audi & cogita contritiones languisti
Gemitusq; carnis respice, carnis dolores mitiga,
Redde huic salute pristinam. Hunc redde nobis inte-
Nec sit tuæ clementiæ ejusq; par sit commodo,(grum
In te recumbens per fidem vivat superstes funeri
Etiam suo, nec huic reo Lapsus priores objice.
Periclitantem sospita, sinu receptum gratiæ
Propter favorem quæsumus Nati tui charissimi.

Hymnus Psal. 71.

In te spetantem ne me pudor obruat unquam
Assere vindiciis justis, meq; exime acerbis,
O Jehova potens; aures adverte querelis,
Expediat tua deinde manus discrimine summo:
Subtrahe me manibus pravorum, subtrahe sævis
Ictibus hostilis dextræ, dum fraude maligna
Imperit (immitis, dubium magis an sit iniqua)
In notis Jehova meis; spes ille salusq;
Expectata mihi, nunc & juvenilibus annis.
Nascenti columen quondam fuit ille, tenellum
Ex uteri tenebris cùm me produxit in auras:
O Jehova, mei tua laus erit unica cantûs
Matereis. Populus me sibulat ut portentum
Rideor, at de te spes nulla exscindere nostras.
Ars vallet; aut nobis os obruat ulla tyrannis,
Quin fax matutina tuæ præconia laudis.
Audiat, & voces quoq; vespertina quadriga
Reddat, dum recito Domini magnalia in orbem,
Quæ mihi patravit; Coeli me gratia quondam
Sustinuit juvenem, fractumq; senilibus annis.

Ne

Ne me destituas miserum & jam viribus orbum.
Quippe inimica cohors in me convitia vibrat,
In caput usq; strophas tendens; nam voce susurrat;
Huic subduxit opem Dominus, calcate jacentem,
Perdite subsidio nudum, assertoribus orbum:
O propriùs Jehova ad sis mihi numine dextro,
Omnes confundat pudor, exagitante procellâ
Innocuum qui me captant; patientia mulier
Me mea, dum fretus Domino præconia pango
Justitiæ, & soles opere hoc & sydera condo.
Egrediar salvus tandem, stipante Jehova:
Tu me formasti documentaq; prima dedisti,
Prodigia ergo tua hinc gentes memorabo per omnes.
Nec me destituas, senio nec desere canum,
Quin vivis memorem seriq; nepotibus acta;
Sublimis tua justitia est, convexaq; cœli
Exuperat: Terræq; opifex, tu conditor orbis,
Nemo inter superos, in terris nemo Dynasta
Par Domino; cui me visum est confringere duris,
Deinde etiam placuit tristes lenire dolores,
Eruere ex terræ gremio; pressumq; levare,
Et millena mihi Solatia fundere circum:
Ergo fidem laudabo Dei, promissaq; factis
Intemerata canam; resonabunt Nubila laudes:
Ipse lyræ jungam dulcis modulamina vocis;
Gliscet lingua, modos promptè labia articulabunt;
Gestiet & salvus plus pectore spiritus imo;
Nam confunduntur, mihi qui pessum--dare quærunt.

Sac. Servatur orbis nos quoq; auctor salutis vindica,
Proprio redemptos sangine, nos assere adjutor Deus.

Benedictio Sacerdotis super decumbentibus, sub formam Petitionis.

Summis Deus firmissima, qui turris es fidentibus.

Cui

Cui more se curvant suo Terrestria, & Cœlestia,
Et cuncta sub terris sita. Te nunc & usq; in secula
Defendat, imis imprimens hanc veritatem sensibus,
Quod nulla virtus subjacet cuiq; cœli climati,
Quæ conferatur viribus cum Christi Jesu nomine,
Ad sanitatem corporis, sinceritatem pectoris
Perennitatem cœlicam, decursa post hæc secula,

Collect. cum administratur Eucharistia ægrotis.

O virtute potens super omnia secula vivax,
Conditor humani generis, lenisq; tuorum
Ultor, supplicio leviter dum tangis amaro,
Quos unire tibi est animus statione propinquâ,
O miserere hujus, tua quem pressura lacessat;
Mitescat patiens tranquillo pectore duret;
Languentem refice & properantia fata retarda
Si placeat; Vel si comitum junctura duorum
Jam nunc dissiliat, Cœlo pars debita migret.

De sepelitione mortuorum.

Joh. 11. Ego sum resurrectio, redux ab inferis
Licet fidelis quispiam sit mortuus
Virtute vivet redintegratus meâ,
Quicunq; vixit in me recumbens fide,
Non occidet, si non fide excidat suâ.

Job 19. Meus redemptor quod vixerit non modò
Sed quod superstes lumine
Adhuc fruatur, credo, fibris hæc meis
Affixa inhæret veritas,
Et quod resurgam scio, die novissimo
Meo refictus ex luto;
Artus amictus sub cutis velamine
In carne visurus Deum,
Quòd intuendo oculos ipse pascam meos,
Non mutuatus lumina.

1 *Tim.* 6. Recens in auras nati nihil tulimus

Job 1.

Job 1. Lamenta præter fletuum
Cum mox inanes omnium recedimus,
Non sunt molestæ sarcinæ :
Ditat Deus, nobis rapit datas opes,
Nutu fluunt ejus omnia.
Sit Domini nomen benedictum.

Job. 14, Fœmineo quisquis partu prodivit in auras,
Paucos & tristes protrahit ille dies, &c.

Sac. Deprecatur sic a precedentibus occasione arreptâ : & cadavere adhuc inhumato.

Omnipotens Sancte, assertor mitissime, Ne nos
Æternæ jubeas fata subire necis,
Qui lustras adyta, & mentis penetralia, torvis
Ne nostras oculis intueare preces,
Parce potens, Sancte, assertor mitissime, Judex
Æterne, O nobis inclyte parce Reis :
Ulnis fata tuis ne nos extrema revellant,
Quin superet mortis tormina fidus amor.

De inhumatione cadaveris.

Sac. Summè potens & par Deus clementiâ,
Quando soluto corpore
Hujusce fratris mortui divinior
Pars evolavit copore
Manens beatis sedibus ; sic corporis
Cassi cadauer, creditum
Humo locamus, ut terra terram suam
Cineremq; contingat cinis,
Huic pulveri pulvisculum supeaddimus
Juxta fidem non futilem ,
Virtute Christi, quod Dies mox ultima
Redintegrabit corpora,
Ad gloriosam carnis ejus imaginem
Quicuncta ubiq; subjugat.

Apoc. 14. Delapsa cœlo vox meas percussit aures Spiritu
Dicente

Dicente digni mortui Fælicitatis præmio,
In Christo Iesu tempora quotquot fideles exigunt,
Quòd Mars laporum terminum ponat quietis otium.

Sac.post Lect. Supreme) quicum ætherei vigent spiritus
Quicunq; consortes priùs fidei exeunt,
Hac luce functi in Domino, & insolatio
Evis beati permanent depositâ
Carnis molestæ sarcinâ,quibus Deus
Electionis indulserit gratiam.
Grates tibi de corde puro solvimus,
Quod hunc ab hujus seculi molestiis
Nunc liberasti, comprecantes in super,
Ut gratiæ placeat tuæ mox computum
Explere totum filiorum, quos manet
Felicites, accelerare regnum tuum :
Cum fratre nostro temporum novissima
Ut compleamus (sicut & nostri patres)
Et vestiamur sempiternâ gloriâ
Ex parte utraq; corpus atq; animum quoad.

Col.ex 1 *Cor.*15. O Deus mitis,pater atq; Christ.
Qui resurgentum rediviva virtus;
Atq; credentum, licet hinc recedant,
Vita perennis,
Ille, qui Paulo vetuit magistro
Ne super justis domino sopitis
Anxii luctu cruciemur omni
Spe sine vitæ.
Suplices numen preculis paternum
Poscimus, nos ut velit excitare
Morte peccati miseros, pieq;
Reddere vitæ;
Ut sinu Christi requie fruamur,
Sedibus certis, modò quò recessit
Frater

Frater, & queîs nunc potitur receptus;
(Spes ita suadet)
Luce sistamur tibi grata turba
Ultimâ, quâ gens hominum resurget,
Nos ut extremum benedictionem
Percipiamus;
Quam dabit judex numero piorum,
Quotquot hac vitâ coluêre patrem
Voce promulgans; patris huc venite
Chara propago;
Ad greges sanctos properate sancti;
Vestra, quæ vobis deus ordinavit
Orbis à cunis teneris parata, hæc
Regna tenete.

Gratiaram actio de puerperio.

Sac. Cum deus assertor fuerit tibi parturienti,
Fætumq; ruerit ventre, salutis ope:
Parturies iterum grates, quia functa periclis;
Fas erit & gratæ reddere mentis onus;
Votaq; ferre Deo, mediâ testudine templi,
Ede preces, grates, Davidis ede melos:
Ps. 121. Ad juga nunc oculos supplex montana levabo,
Ad juga subsidii fons fluit unde mei:
A Domino auxilium manat, qui conidit arcem
Æthereum, terras, terrigenumq; genus;
Qui te custodit lapsu prohibebit ab omni,
Quippe hujus nunquam lumina torper habet;
Est tuus a dextris custos, tibi porrigit umbras,
Ne te percutiat sole calente dies,
Sydere nec lævo noctis regina nocebit,
Expediet cunctis ipse Jehova malis:
Eruet Isacidûm nunc atq; in secula custos,
Egresum, reditum proteget ille tuum.
Post ejaculationes breves & orati. dominic. sic.

*Sac.orat.*Qui liberâsti fæminam, periculis puerperi,
Tu deinde da mitissime,ut obsequatur posteà
Jussis tuis fideliter ; incedat ad normam tuam
Vovationis limite ; sectâ vocata Christide,
Quod restet ævi transigat præsente prudens seculo,
Ut sit futuri particeps in sempiternâ gloriâ.

Comminatio.

Sancta die cinerum dum carnis-privia passim
Sollicitè ordimur ; primæva Ecclesia pœnas
Sontibus instituit subeundas more solenni,
Ut pudor obruerit sontes & venerit hora.
Quando tremenda, salus animis contingeret ægris,
Talibus exemplis gravis ut censura rebelles
Frangeret; & pronos vitiis revocaret ab orco.
Hic mos dum redeat (votis quem poscimus omnes)
Contra immorigeros visum est Aphorismata sacra
Intentare hodie prompta ex utraq; Apothecâ
Divini oracli ; vestrum est audires tonantem,
Reddere deinde Amen, sceleratis dum maledicit,
Vos ut discatis moniti resipiscere ab omni
Crimine, & ad Dominum non ficto corde redire,
Cautius & mundi per tot discrimina vitam
Degere præsentem, fugientes turpia facta.
Contra obtestati proprio quibus ore fuistis,
Deberi Nemesin, per Amen non futile dictum.

Sac.Deut.27. Maledictus est imagines qui struxit aut abscondidit
Abstrusiore in Angulo, Animo colendi perperám.
Idola dum pro numine, Quæ fabricavit artifex,
Vanis adorat ritibus,cuncta execratur quæ Deus.R.Amē
Diris parentes qui novit,matrem patremve, utrumlibet ;
Maledictionis est minis feralibus dignissimus. R. Amen.
Quicunque captos lumine Palare cogit Devios.
Ab instituto tramine Feriendus est hoc fulmine.R.Amē

Statere recto qui negat, Jus ordinare exoricis,
Viduisque & orbatis patre, maledictus inter judices.
Qui proximetæ perfidus percussor est, addicitur
Pœnæ dolendæ quam Deus, in execrandos intonat.
R. Amen.
Maledictus est qui proximi Adulter uxorem premit,
(*R.* Amen.
Meledictus est qui sanguinis, pretium innocentis accipit,
R. Amen.
Maledictus est qui viribus Adamidarum nititur,
Columenque mortales facit, Spreto Jehovæ brachio. *R.* Amen.
Injustus, extorquens opes, mœchi feroces, Ebrii
Fœdum colentes Mammona sic qui colent imagines,
Qui virulentè detrahunt, aut clam susurris vulnerant,
Numerantur execrabiles à montis Ebal vertice. *R.* Amen

Exhortatio saccrdotis comminationibus mixta ex variis Scripturæ locis.

Quem nequeunt cohibere sacræ confinia legis
Errantem à tergo Nemesis Divina lacessit,
Ut canit Isaides, pravis desistere cœptis,
Et fas ad dominum contrito corde redire. *Ps.* 51. &c.
Pectore debemus tristi commissa fateri
Emendare malos mores, atque edere fructus
Propositi argumenta novi; sublata securis *Mat.* 3.
Nunc prope radices non vanos destinat ictus,
Si male frugifera est, sterelisve emarcuit arbor;
Ferro exscindenda aut Vulcani debita flammis.
Depluet in sontes laqueos & Sulphur & Ignem *Ps.* 11.
Horrificum Tonitru, tempestatesque sonoras;
Hæc parat, hæc Nemesis sceleratis fercula miscet.
Cui venti-labrum est triticum cribrare paratum, *Mic.* 3.
A retrimentis purgetur ut Area purè.

Ecce Jehova venit solio delapsus ab alto *Es.25.*
Indigenas terræ plectens, & crimina lustrans.
Quis ferat adventum? quis non avertere vultus
Tum cupiat timidos a scrutatore verendo?
Ut fur nocturnus sic hora tremenda propinquat, *1Th.5.*
Cum dicent pax est, læta omnia, casus acerbus
Obrepit miseris, & ineluctabile fatum
Exitii perimet: dolor est ut parturientis
Festinus, nullisque est artibus effugiendus.
Ad me clamabunt sed eorum vota repellam, *Pro.1.*
Me manè primo & vespere:
Sed frustra quærent, quia me novisse perosi
Metumque spreverunt Dei,
Quodque immorigeris vilis mea virga, Deique
Contempta erant oracula;
Quippe adipiscendæ post mitia tempora pacis
Nemesis severa cum furit,
Vanum est (heu) miseras ad cœlum tendere palmas
Occisionis tempore,
Occlusas quatient portas sed tempore inepto
Nec pulsa cedet janua.
Heu quam judicii vox est horrenda supremi *2 Cor.6.*
Pronuncianda sontibus; *Mat.25.*
Execrata cohors ite in comburia flammæ,
Perennis, indelebilis,
Quam divina olim accendet vindicta Satanæ,
Ejusque furvis asseclis,
Tartareoque gregi, primæva ob origine mundi,
Hæc structa damnatis pyra est.

Ex Esa. 1. 18.

Crimina si fuerint ut diphaba murice cocta
Albescent purâ candidiora nive;
Æmula coccinei fuerint peccata ruboris,
Candida quem refert lana, coloris erunt.

Loco

Loco Hymni ponit Eccles. Psal. unum ex 7 pœnitentialibus; quem reddere conamur, sic,

Sac.51.Ps. O miserere Deus; bonitas tua fine modoq;
Et delicta carent fine modoq; mea;
Magna tua & varia est clementia, vi numeroq;
Auferat, heu, sordes nulla vel illa meas;
Nec leviore manu, nec me vice simplice purga,
Cum reliquis clemens ablue grande nefas:
Hoc ferit, hoc oculis fateor mihi crimen oberrat,
Perpetuo exagitans me sine teste metu:
Justitiam nequando tuam censura noceret,
Tu mihi non tanti criminis auctor eras;
Hæsit spurcities primæva ab origine venis,
Trabs mala produxit; stemma proinde malum;
Non natura mea est, magis accusanda voluntas;
Posse dedit mater, non mihi velle malum.
In te patravi: mea sunt peccata; pudore
Non prohibente, tui non revocante metu:
Ecce tibi cordi est synceri pectoris aula,
Quam colit, & prudens mens sine labe regit:
Me tacitè erudies insistere tramite recto,
Artis & æthereæ deinde peritus ero:
Hysopi aspersu lustrabis sanguine tincti,
Et nota sanguinei nulla ruboris erit;
Me lachrymis madidum flatus baptismate sacri
Tange; statim toto pectore candor erit;
Cor mihi mulcebunt veræ præconia famæ
Lætitiam tristi quælibet hora feret;
Ut fractos tandem succedat Robur in artus,
Juncturis coëant dissita membra suis,
Ne vultus subeant mea facta infanda severos,
Deleat ô maculas unda cruorq; meas; *i. e.*lachry.
Da mihi mundiciem cordis, me flamine sanctus
Afflet, & ad rectum Spiritus intus agat:

Ne misero avertas faciem, mihi nec paracletum
  Subtrahe, projiciat nec gravis ira foras:
Grata salutiferæ redeant mihi gaudia dextræ,
  Libera me foveat Flaminis aura tui:
Tunc immorigeros prudens tua scita docebo,
  Ut tua te à vitiis gens revocata colat:
Cædis atq; horrendæ me vinctum absolve reatu,
  Tam fonti capiti tu mihi sola salus.
Pande viam voci, lætataq; lingua sonabit.
  Materiem cantus ipse Jehova dabit;
Quæ se castigat mens fracta, & spiritus æger
  De vitiis propriis, victima grata tibi est;
Et placanda sacris tua si foret ira, dedissem
  Mille Holocausta Aris accumulanda tuis.
Gratia respiciat pulchram consueta Syonem,
  Nec tibi vilescat crimine nigra meo:
Charam deinde tuis Solymam complexibus ambi,
  Sydereo feriat vertice structa polum:
Tum solvam tibi vota piæ libamina mentis,
  Nullaq; placabunt hoc sine sacra sale.
Tunc holocausta ferent, Aras tum vasta onerabunt,
  Terga boum, nulloq; colla; pressa jugo.

Sac. Ora. Clementer audi supplices, & parce confitentibus,
  Ut quos reatus obligat, absolvat indulgentia;
  Si cor retexat crimina, Si mens retractet, obtinet
  Cor pœnitens mens credula Christo salutem principe.

2. *Sac. orat.* Qui sontis Adæ stemmatis miserescis ultro totius,
  Nihil perosus omnium, Quæ condi disti primitùs;
  Qui noxios non abdicas, Nec vis mori sed vivere
  Pravis relictis moribus, Mitis remitte sontibus,
  Et nostra dele crimina, Admitte fassos & gravi
  Sub mole conscientiæ solare anhelos spiritu:
  Inter tributa clarius, Ut fulgeat clemementia,
  Veniam dare & remittere Deitatis insignis nota est:

Servis

Servis Diem noli tuis Judex tremendus dicere,
Nec ad tribunal ſtrictiùs Jā nūc nocentes pertrahe;
Animata nam ſumus luta, projecta turpitudini;
Nimis ſeveris palpebris, Nec nos tuere conſcios
Culpæ, gementes, ſaucios, ſuccurre ſed viventibus,
Vivamus ut ſuperſtites, Tecum futuro, ſecula
Tecum dein per omnia.

Hæc poſtrema a populo recitanda ſunt, præeunte ſacerdote.

Verſi vertemur, te convertente Quadrigas
Ad te dirigimus, velaq; rupta damus;
Nam tibi vota damus; lachrymas, jejunia, greſſus
Ad te dirigimus, porrigim uſq; manus;
Ad te perfugium properamus, parce volentes
Cogere, ſponte ad te conficiemus iter:
Parce Deus populis, ô ter mitiſſime, lenis,
Longanimis, patiens pone flagella manu;
O miteſce Deus, mediâ placabilis irâ,
Qui ferulâ cædis magna minore mala;
Turbine dirarum ne nos confuſio ſontes
Ultima ſurripiat, parce Jehovâ gregi;
Audi, facta oculis bonitas tua reſpicit æquis,
Et ſimul iunumeras percipit aure preces,
Voce gregis proprii magis eſt penetrabilis auris
Et ſponſum magis eſt prompta juvare manus.

Votum auctoris, & Apologeticon.

O utinam vates iterato carmine reddat
Hunc aliquis Latius, Mæoniuſve Librum,
Otia, res anguſta librum, geniuſq; negaruut
Edere concinnum; ſit voluiſſe ſatis;
Non ſum conatus ſacro decus addere Libro,
Noſtrum materies vile coronet opus;
Quæ me ſervabit, decoret quoq; chara tabella,
Sit decus, & vitæ teſſera certa meæ.

FINIS.

Quædam restituenda.

PAge 6. *l.*17. *lege* Christicolæ: *pag* 8. *l.* 17. Christianis, *p.* 16. *l.* 24. In *pro* &: *p.* 24. *l.* 5. (Si recte numeres:) Tu *ante* qui: *p.* 29. *l.* 5. Has *pro* illas: *p.* 32. *l.* 27. *pro* rege *lege* regia; & flueret *pro* fluent: *p.* 36. *l.* 10. incolumes, & *l.* 17. miserescce: *p.* 40. *l.* 16. Implicitos: *p.* 43. 11. hymenëia: *p.* 39. 28. insignes: *p.* 5. *l.* 31. vegetante: *p.* 102. *l.* 10. Abrami. *p* 52. *l.* 27. communionis: *p.* 53. *l.* 20. beatum: *l.* 1. adunas conjunctim: *l.* 6. promiseris: *p.* 54. *l.* 8. destitutis: *p.* 6. *l.* 28. ab: *p.* 63. *l.* 25. timidis: *p.* 67. *l.* 17 ad 9 interpone, Domino: *p.* 73. *l.* 22. rabido: *p.* 82. *l.* 2. summoq; Patre: *p.* 85. *l.* 8. *dele* vocales, *l.* 16. procul: *p.* 89. *l.* 1. internum, *l.* 5. altus: *p.* 91. *repone titulum* Catechismus *pro* S. Lavacro: *p.* 104. *l.* 24. Grates: *p.* 105. *l.* 1. immitius.